ANTONII SANDERI

PRESBYTERI S. TH. LICENTIATI

PANEGYRICVS

B. THOMÆ DE VILLANOVA

ORD. EREMITARVM S. AVGVSTINI

ARCHIEPISCOPO VALENTINO

GANDAVI DICTVS

APVD PP. AVGVSTINIANOS.



B. THOMAS DE VILLANOVA.

GANDAVI, Apud Gualtérum Manilium.

Año M. DC. XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. ALFONSO A CVEVA
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO
ET CATHOLICI REGIS
APVD BELGAS LEGATO.

AVſpicijs Alfonſe tuis miracula ſancti
Præſulis, Heſperio ſignaq; facta ſolo
Elogio tenui licet, hunc vulgare per orbem
Noſter, vt obſtupeat Belgica, cepit amor.
Farre pio, & modico faciens ſale ruſtica plebes
Sæpe tulit votis nobiliora ſuis.

Digitized by Google

Sic amplo Superum Rector non munere, at vno
Cuncta animo, & niueâ ſimplicitate probans:
Adſpicit exiles cultus in paupere turba,
Nec patitur caſſas ſidera adire preces.
Fors etiam parui non ſpernet dona libelli
Altis Empyrei ſedibus ipſe Thomas.
Tu magnos imitare Deos Alfonſe, nec vltra
Quære aliquid ſolas præter amoris opes.
Has damus, hæ placeant ò doctæ cura Mineruæ:
Sufficiet noſtris laudibus ille fauor.

DD.

ANTONIVS SANDERVS

Presbyter Gandauenſis.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

D. ARCHIEPISCOPO VALENTINO

Admodum item Reuerendis viris Præpoſito,

Decano, totique Eccleſiæ Maioris Valentinæ Capitulo

ANTONIVS SANDERVS Belga Gandauenſis.

EXimiam ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ *Ser*^{mæ}. *Hiſpaniarum Infantis in* B. THOMAM DE VILLA-NOVA *varijs nuper argumentis oſtenſam pietatem, dictu mirum, quàm præcipuæ ſtatim in Belgio ciuitates imitatæ ſint. Itaque nec Gandauum Ampliſſima Flandrorum metropolis officio ſuo defuit, ſed ad nouos B. Antiſtitis Valentini honores, quaſi ciuis aut inquilinus foret, toto pectore exultabunda, tubarum clangore, campanarum ſonitu, muſicorum harmonia, officiorum ſolemnitate, proceſſionibus, maxima populi frequentiâ accenſis funalibus, veſpertinis etiam ignibus, atque alijs modis animum ſuum ergo B. Eleemoſynarium teſtata eſt. Ergo publi-*

cam ciuium deuotionem priuatis in Diuum obſequijs non adprobare piaculum arbitratus, dum alij varijs linguis magnalia ſanctiſsimi Præſulis enarrarent, eandem ego cathedram conſcendi, ac bonam huius Panegyrici partem coram Magnatibus vrbis pronuntiaui. Id vero cum facerem perlubenter, ac ſponte meá currerem, calcar mihi nihilominus aliqui è Societate IESV *amici ſubdiderunt, vel in hoc etiam erga diuinum Antiſtitem grati, ac memores, quo adfectu olim, ac quam ſingulari amore optimus Candidiſsimuſque Præſul eandem Societatem proſecutus eſſet. Radicem ſcilicet fouebat vir Cordatiſsimus, curabatque tenellulam plantam illam, quæ aut negligentiá quorundam in Rep. potentium, atque ad ſaluberrima etiam inſtituta parum reſpicientium areſcere, aut humanæ malitiæ Aquilonibus grauem noxam pati potuiſſet: vberes in remp. Chriſtianam fructus ab ea quondam orituros præſago mentis oculo proſpiciens, ac omnino conſcius, quantum diuinæ gloriæ, animarum ſaluti, Eccleſiæ reformationi, ad quam feruentiſsimis deſiderijs ſanctiſsimus Zelotes anhelabat, ex hoc præſtantium virorum cætu labentibus annis accederet. Ab illis nimirum quam maximè diuerſus erat, qui vt propria adtollant, aliena deprimunt, vituperant, arrodunt, qui profeſsionis ſuæ ac Religioſæ manſuetudinis parum profectò memores, dicterijs petulantes, liuore tabidi, in conuitia*

proni,

proni, mores, doctrinam, inſtituta eorum inſectantur, quorum probatis Deo laboribus ſi gratularentur, manumq́ coniungerent, ac ſuâ induſtriâ alienam alacritatem adiuuarent, immane quantum Reip. Chriſtianæ prodeſſent. Nunc quia Bernardinum illud non meminerunt: Vnum ordinem habitu teneo, cæteros adfectu: *noxij ſunt ac ſcandaloſi. Sed ab ijs recedo atque ad vos Ill^me^. Præſul & admodum R^di^. Domini venio, præclaraſque virtutes veſtras obteſtor, peregrinum hunc ad ſanctiſſimam Valentinorum Eccleſiam ab extremis Belgarum ditionibus properantem hoſpitio excipere, ac beneuolentiæ veſtræ præſidijs aduerſus eos, qui forte lædere volent, defendere vt cupiatis. A ſtilo vel doctrina ſcriptum hoc nemo fortaſſe commendabit. Pietatem ſaltem in eo, ac animi candorem ego profeſſus ſum; vtile etiam forſan ac quibuſdam proficuum illud futurum eſt; in eo enim pleraque illuſtria Diui facta, prodigia, atque vniuerſam vitæ ſeriem, prout eam nuper Hiſpano idiomate P. Gabriel Metermannus Bruxellenſis Auguſtinianus, vir pius, ac eruditus digeſſit, inveniet, quiſquis leget. Valete viri Ampliſſimi, & Valentinam Eccleſiam, quæ præ reliquis Hiſpaniæ, fœcunda Sanctorum in dies naſcentium germine, Altiſſimo placere videtur, egregijs virtutibus adornate. Gandaui Kal. Octobris* M. DC. XXII.

L I-

Digitized by Google

LIBERALITAS
B. THOMÆ DE VILLANOVA.

HIC non diuitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, ſed largior imbre
Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas.
Quippe velut denſo currentia munera nymbo,
Cernere ſemper erat populis vndare Penates,
Aſſiduos intrare inopes remeare beatos.
Præceps illa manus fluuios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vomens.

CLAVD. PANEG. PROBI.

SI non eſt omnium æqualis facultas, debet eſſe par pietas: quoniam fidelium largitas, non de muneris penſatur pondere, ſed de beneuolentiæ quantitate.

LEO. SERM. DE EPIPH.

A D

Digitized by Google

AD

B. THOMAM DE VILLANOVA

ARCHIEPISCOPVM VALENTINVM

Vitâ & Miraculis inclytum

DE

R^{DO}. ET CL. V. ANTONIO SANDERO

Encomiaſte.

INTER ſacratos Dia quos cælo viros
ELEEMOSINE ſuſtulit,
Fulges minora Sol vt inter ſidera,
VILLANOVANE Maxime,
Quà Bætis oras alluit Tarteſsias
Leneis in auras editus:
Vt largitatis, atque Sanctimoniæ
Cunctæ, improbis mortalibus
Exemplum ab orbe naſcereris Heſpero:
Cadentis ac Phœbi domo
Mundi labantis emicare deſtina
Fauore poſſes Cælitum:

Digitized by Google

Quibus remiſtus ipſe, nunc lætos agis
Læto dies cum Numine,
Sic olim amato, quantum amare filium
Nec chara mater vnicum,
Poſsit parentem non amatum filius.
Perennitati ſed Tuæ
Dum plaudit orbis, Numiniſque qui vice
Orbem regit GREGORIVS;
Et te BEATVM, teque formoſo ſitum
Cælo colunt Iberiæ;
Æſtum haud coërcens ingenî SANDERIVS,
GANDÆ propago IVLIÆ,
Quo pollet ore, quaque fandi gratiâ,
Lætum pœana concinit
Flandras per Vrbeis: voce nec ſolâ ſatis
Contentus, aureo ſtili
Nitore pingit, poſteriſque traditum
Fauſtis iubet laboribus:
Vt quantus aſtris intereſſe lucidis,
Choroque gaudes Cælitum;
Talem libellis editum Gordunijs
Longæua cernant ſæcula.

I. RYCQVIVS. C. G.

Diſper-

Digitized by Google

Diſperſit, dedit pauperibus, Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius, exaltabitur in gloria. Pſal. 111.

FAcimus iniuriam Auditores, pietati ac meritis Gregorij decimi-quinti Pontificis Opt. Max. ſi non agimus illi gratias immortales, quod nuper ſanctiſsimum virum THOMAM de Villanoua, ad inſtantiam potiſsimum Regum Catholicorum, ad Reip. Valentinæ, & totius ordinis Auguſtiniani preces, ad Iſidori præſtantiſsimi Valentinorum Antiſtitis vota, ceremonijs ab Eccleſia vſitatis BEATVM ab anteceſſore ſuo Paulo quinto Burgeſio dictum, ſolemni ritu publicarum orationum, hoſtijſq; in ipſius honorem Omnipotenti Deo immolatis, ab omnibus illis, qui per orbem terrarum Auguſtinianæ militiæ adſcripti ſunt, invocari poſſe declarauit. Profecto non abſque magno Reip. Chriſtianæ fructu id factum fuiſſe, quæ inde in vniuerſam Eccleſiam manatura ſperatur vtilitas, commonſtrabit. Nouum Auguſtinianæ familiæ acceſsit decus, nobis etiam exemplum, ad imitationem pulcerrimarum virtutum, in conſpicuo poſitum eſt. Iniuriam etiam integritati ſanctiſsimi Antiſtitis illatam fuiſſe queri non immerito potuiſſemus: ſi non iſta tandem publica ſanctitatis & innocentiæ teſtimonia Apoſtolicæ cathedræ ſuffragantibus decretis, ad omnes Eccleſias perueniſſent. Honoribus digna virtus eſt, & ſi quæ famam laudemque merentur, etiam apud homines, ſunt illa præſertim, quæ non ad famam & aucupium popularis auræ, ſed ad Chriſti laudem Deique gloriam à viris excellentibus præclarè geſta ſunt. *Gloria & honor, & pax omni operanti bonum:* ait Apoſtolus, & ad elogia proborum nos hortatur Syrachides dicens: *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua:* & rurſus: *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum annuntiet Eccleſia:* Quin & inter alia charitatis officia hoc numeratur, vt congaudeat bonitati. Etiam noſtra intererat Auditores, heroica huius Antiſtitis facta evulgari: *parum ſepultæ diſtat inertiæ celata virtus.* Neque poſteros ad bene pariter agendum ea prouocare poſſunt, quæ ſub vmbra ſilentij conteguntur: ſic nec imitari poſſumus, quæ ignoramus, cum omne amoris initium à cognitione rerum honeſtarum oriatur. Nunc malitioſis etiam hiſce temporibus, dum cuncta ferè officiorum genera, ſolidarum virtutum inania, vitiorum fœcunda, ſolaque politicæ honeſtatis imagine picturata ſunt, vt æmulentur, vixiſſe ſcient Præſules paſtorem charitate feruidum, Zelo inflammatum, Eremitæ Auguſtiniani eximium religioſæ diſciplinæ ſeruatorem, vniuerſim populus Chriſtianus virum admirabili Dei timore, & vitæ innocentiâ præditum: adeo vt non huic vel illi hominum conditioni ſolum, ſed

Rom. 2. Eccl. 44.

B iij omni-

Digitized by Google

omnibus planè, & diſtinctis in rep. noſtra vocationibus rara & ſtupenda in hoc Antiſtite virtutum exempla profutura ſperemus. Et vero, cum ſint innumera Auditores, erga nos diuinæ beneuolentiæ argumenta, tum in duobus præcipuè ineffabilem amorem erga ſponſam ſuam Chriſtus mihi prodidiſſe videtur. Primum, quod per iugem & aſsiduam ſpiritus ſui cuſtodiam & eruditionem, eam Apoſtolicæ Petræ indiderit firmitatem, vt ad conſummationem vſque ſæculi, in ea ſemper Chriſtiani dogmatis veritas, nequidquam eam peſſundare adnitentibus inferis, aurumque purioris doctrinæ, velut ad lydium lapidem Romanæ cathedræ, ab orichalco falſitatis & hæreſios diſcerni poſsit: dein quod nullo etiam non tempore, effuſa vberiore benignitatis ſuæ gratia in membris ſuis ſponſam Chriſti fuiſſe pulcram, non habuiſſe maculam neque rugam prodigijs etiam ad hoc inſolito modo factis intelligere valeamus. Examinemus ſingulas ætates etiam perditiſsima ſæcula euoluamus, & fuiſſe ſemper aliquos ante Deum verè iuſtos, ex annalibus & hiſtorijs audiemus. Etiam tunc cum lacrymabili querimoniâ eiularet Propheta Dauid: *Omnes declinauerunt,*
Pſalm. 13. *ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum:* per hyperbolen loquebatur, & ipſe pſaltes iuſtus erat, ac timens Dominũ, & faciens bonum. Deplorabat quoque miſerabilem Synagogæ cataſtaſian zeloſus Propheta, cæteriſque vt opinabatur diſperſis, & per errores Idololatriæ palabundis ingemiſcens en inquit, *derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt*
3. Reg. 19. *auferant eam.* Et mox depulſa erroneæ opinionis nubecula lætiora de Dei cultu & Religione intellexit, ſupereſſe videlicet etiamnum in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non erant incuruata ante Baal, quique pollutionibus impiorum Achab & Ieſabel non eſſent inquinati. Ita profecto multi & omni planè æuo, cum id minimè iudicium ſæculi arbitraretur, hominibus incogniti, Deo manifeſti, iuſtitiam ſancti coluerunt. *Summa ingenia in occulto latent,* aiebat ille, quod & ego de animorum præſtantia, veriſque virtutibus dici poſſe omnino exiſtimo. Nouit Dominus, qui ſunt eius, quin & illud quod ab humano die ſæpe iudicatur nequam & improbum, apud Cardiognoſten probum ſincerumque eſt, tractuque etiam temporis tale ab hominibus, ita res noſtras moderante Domino æſtimatur. Quid diſsimulo Auditores? Thomas de Villanoua Eleemoſynarius, de alijs aliorum temporum heroibus hic nihil dico, illa tempeſtate, quâ vt nulla feracior Religionum, ita ſterilior pietatis nominari poterat, ſanctam etiam tunc in membris ſuis Eccleſiam ſingulari vitæ ſuæ innocentia commonſtrauit, in medio nebulæ, vt ſtella emicuit. Germaniam turbabat Martinus Lutherus, & cuncta ferè quaſi in vertiginem acta peſtifero hæreſeon ſuarum halitu inquinabat, in Gallijs & per Heluetiam ſæuiebat Ioannes Caluinus, & Vdalricus Zwinglius, in Anglia Petrus Martyr, & Bucerus, per Friſiam & Belgicas ditiones Mennoniſtæ, per alias alij præambulones Antichriſti. Sectis, diſcordijs, ſeditionibus Eccleſia laborabat, gliſcebant odia in Romanum pontificem, & ob multiplices miniſtrorum quorundam & curialium abuſus, apud pleroſque primæ cathedræ auctoritas vacillabat, in populo catholico vbertas vitiorum, etiam hominum ſacrorum diſciplina

Digitized by Google

plina nulla aut languida, vt verbo dicam, reip. Chriſtianæ conſtitutio deplorata erat, & ecce velut lilium inter ſpinas, per Hiſpaniam B. Thomas de Villanoua, inuenitur ſiue macula & admirandis virtutibus efflorecit. Errabitis Auditores, errabitis δὶς διὰ πασῶν ſi pro re minoris momenti præſtantiam huius viri habueritis, quia tenuioribus encomijs & humiliore ſtilo, adumbrata facinora audietis. De multis etiam ſeligere aliqua cogar, cum in tanta rerum dicendarum vbertate, percenſere omnia importuni laboris opus, ac humeris meis non facile ferendum foret. Igitur quæ mihi magis eminere videntur, in medium alaturus ſum, vitæque ſeriem ſaltuatim, & per compendia ſic tranſcurſurus! Talis ergo Beatus noſter Eleemoſynarius fuit, familiâ inprimis nobili ac illuſtri, quippe quæ non paucos Equites S. Iacobi, de Calatraua & Melitenſes iactare poſsit, oriundus. Locus ei natalis Fuellana, qui vicus quingentis fere paſsibus à Villanoua de los Infantes diœceſeos Toletanæ opido diſtat. Pater ei Alfonſus Thomas Garzia fuit, vir probus, & non animi virtute minus, quam ſtirpe generoſus, Mater Domina Lucia Martines fœmina pietate & religione inſignis. Ambo Caſtellani fuerunt, opulenti etiam, & è veterum, vt iſtic aiunt, Chriſtianorum proſapia, quæque nullo Maurorum vel Saracenorum ſanguine tincta eſſet, progeniti. Non aliter profecto naſci debuit B. Thomas, vt ſic transfuſa quaſi in nepotem progenitorum luce eius ſanctitas per orbem terrarum clarioribus radijs coruſcaret. *Fortes creantur fortibus & bonis*, &c. Quid de parentum virtutibus & pietate dicam Auditores? vt verbo abſoluam, degeneraſſet Thomas noſter, ſi ad tam ſublimem ſanctitatis gradum non perueniſſet. Homines illi fuerunt pauperum amantiſsimi. Ita ferè per naturam bonus eſſe poterat, ſi gratia non eguiſſet pius noſter Eleemoſynarius. Sanè rarum iſtud patientis prophetæ elogium aptiſsimè ſibi vſurpabit: *Ab Infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Mater & illam imitatæ famulæ, cilicio carnem domabant, feriam ſextam, Sanctorumque vigilias ieiunijs & abſtinentia ſingulari tranſigebant, ac ipſa inprimis mater tam profuſæ largitatis in egenos fuit, vt in vita æquè ac poſt mortem eleemoſynariæ ſanctæ nomen obtineret, gratia ſanitatum per læta crucis ſignacula, quæ fronti ægrorum imprimebat, polleret, fatoque etiam proxima à filio iam per annos aliquot defuncto, fiduciam in Domino, & alacritatem habere iuſſa viſeretur. Sed ad beatum Thomam redeamus, is Infantiam vix egreſſus, & tenerioribus etiamnum pueritiæ annis inhærens, tanta tamque illuſtria futuræ ſanctitatis inditia præmiſit, vt qui pueri indolem & mores conſpicatus eſſet, non niſi maxima rerum pondera præſagiret. Per Dominicas & feſta pomeridianis horis cateruas puerorum ad officia diuina, & conciones ſacras conuocabat, ſequebantur & illum multis vicibus ſeniores. Ille medius eorum, quos varijs modis, & multiplici pietatis lenocinio contraxerat, magno ſpiritu & feruore repetere ſacra prædicantiũ documenta, vrgere ſequelam, iterum iterumque inculcare, quæ ſalubria vſpiam audiuiſſet, tanto etiam cum fructu, vt tam ex illius qui repetebat, quam ex eorum, qui præſentes aderant, oculis, lacrymæ vbertim promanarent. Prognoſticon minimè vanum fuit, quod is aliquando futu-

Parentes, ac locus natalis B. Thomæ.

Iob. 31.

Digitized by Google

futurus eſſet Thomas, qui velut imbres emitteret eloquia ſua, & luculento diuinarum prædicationum rore per Hiſpaniæ regna, Eccleſiæ Catholicæ hortum irrigaret. Quid eleemoſynas pueriles commemoro? profecto eæ tales tantæque fuerunt, vt eas maturitati, prudentiæ, opibus maximorum virorum, & in diſciplina Chriſtiana perfectorum hominum pietati & miſericordiæ anteferre poſsis. Eunti ad ſcholam qui prior egenus occurrebat, illi pro quotidiano more, quod ientaculum puero donabatur, porrigebat. Ita ſemper ad prandium vſque ieiunus. Sæpe domum reuerſus eſt, nunc ſine calceis, alias ſine caligis & thorace ac cæteris indumentis, omnia iſta nudis ac pauperculis ad arcenda frigora elargitus. Hieme mediâ & acri, cum illi forte obuiam veniſſent pueruli nudi, ac præ frigore tremebundi, huic Thoracem, illi caligas, alij togam dedit, atque ita ſolo tectus induſiolo tenellulus & palpitabundus puer domum remeauit. Alias ſolemniore feſto, cum forte noui & elegantis veſtimenti donatiuum à parentibus accepiſſet, totum illud vetere & pannoſâ laciniâ, quâ miſeros artus pauperculus illi forte obuius tegebatur, commutauit, ſeque illâ exornauit, parentibus admirabundis id ſolum reſpondens, conuenire pauperi melius ſuas elegantias, & ipſas eum promereri magis. Non poſſum hæc ſine animi exultatione & intimo gaudio recenſere Auditores. Et vos ipſi iudicate etiam, ſi non iſta omnia Martinianæ liberalitati, & priſcis clariſsimorum heroum exemplis debeant comparari. Die quadam cum ad meſſores paternos cibum deferret, bonam eius partem pauperculis per arua relictas ſpicas colligentibus diuiſit, fuerunt nihilominus illi, etſi voraces & famelici, re ſic imminuta, at aliter à Domino benedicta, ſaturi omnes ac ſplendidè epulati. Quidquid à matre ſua vnquam iuſtè, aut pecuniarum, aut panis, aut ouorum impetrare potuit, id confeſtim ad inopes in hoſpitali poſitos deferebat. Cum illa egenæ mulieri lanam, quam ſuis vſibus ſeruatam volebat, negauiſſet, clanculum eam filius mulieris egenæ dolorem non ferens, dedit, die ſequenti cum eam forte ad ſuos vſus mater requireret, per miraculum alia lana non defuit, & lecythus olei non defecit in Iſrael. Vnum adhuc, at illuſtre miſericordiæ Chriſtianæ exemplum additurus ſum. Manſerat domi Thomas, aberant parentes, penu obſerato etiam claues deerant, pauperibus ad fores Eleemoſynam inclamantibus, panem quem daret non habebat. Quid ageret anxius ac ſollicitus puer? inconſolatos dimitteret? at iſtud viſcera pietatis, quæ in puerulo noſtro ebulliebant, non patiebantur. Fortè gallina domi erat ſenario pullorum numero fœcunda, hos dedit pauperibus, matrique ſciſcitanti cur id feciſſet, ſe cum gemitu & dolore non potuiſſe pauperculos à ſe ablegare reſpondit. Neque ſolâ charitate reſpexit proximum diuinus ille puer, ſed vt apud Deum gratiora forent opera miſericordiæ in quibus ſe exercebat, ijs auſteram pænitentiæ diſciplinam, ieiunia per Eccleſiam libera, chameuniam, cilicia, aliaſque corporis afflictiones adiungebat, ſed vt hæc omnia nulli cognita fierent maximè ſollicitus. Iſta fuere primordia, iſta auſpicia ſequentium prodigiorum Auditores. Ac alij quidem aliquando boni eſſe incipiunt, lauantur poſt ſordes, ſciſſamque innocentiæ tunicam planctu & metanœa reſarciunt,

Eleemoſynæ B. Thomæ in pueritia.

Elee-

Eleemoſynarius noſter nunquam malus fuit, cum lacte materno virtutem imbibit, etiam illi cum ætate creuit innocentia, cum vitæ ſpatijs animi ornamenta. Verè & ſapienter in prouerbijs ſcriptum eſt. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* Pulcrum non deuiaſſe, rarum & admirandum per lubricam ſaltem adoleſcentiæ ætatem blandientibus vitijs non adhæſiſſe, cum alij & iudicij infirmitate alijſque capti illecebris mali ſunt, Eleemoſynarius noſter bonus fuit. *Beatus homo qui cum portauerit iugum Domini ab Adoleſcentia ſua!* Multorum hominum in deteriora ſemper procedit conditio, & accedentibus annis etiam augmentum malitiæ roboratur, noſter vero Thomas, iterum dico, quantum viuendi ſpatijs tantum virtutibus dilatatus eſt. In illis itaque vt perfectius ſe exerceret, ac clariore luce rerum diuinarum perfuſus, Deo ſcientiarum Domino exactius deſeruiret, de altero hominis ornamento, quod in cognitione litterarum conſiſtit, ſollicitus fuit, ac florentes annos in Academia Complutenſi, non ſine maximo doctrinæ progreſſu impendit. Interim apud Villanouam moritur Pater, aduolat itaque relictâ tantiſper ſcholâ filius extrema pietatis officia ſoluturus, ac forte vicinam paternis ædibus domum nactus, quam abſoluto ſtudiorum curriculo in patriam redux incoleret, rogauit Matrem, vt eam lectis, ſtragulis, veſte linea aliaque ſupellectile inſtructam commodum pauperibus & peregrinis hoſpitium deſtinaret. Acquieuit filij votis pijſsima mater, & in hanc vſque diem ea domus hoſpitale Archiepiſcopi Valentini nominatur, quin & à fide dignis, qui iſtinc forte venerant, relatum eſt, cum primum de huius Antiſtitis vita, ſanctitate ac miraculis inquiri ceptum, infirmos omnes, qui iſtic decumbentes ſe Eleemoſynario noſtro commendauerant, ſanitatem conſecutos eſſe. Rebus igitur in patria ſic compoſitis, redit ſtudiorum gratia Complutum B. Thomas, cum ecce Franciſcus Ximenius Minorita Cardinalis Toletanus Archiepiſcopus, & clariſsimum Hiſpaniæ lumen, eum collegij à ſe recens excitati, quod titulum S. Ildefonſi habet, alumnum nominauit. Theologiæ ſtudia emenſus, ob ſingularem induſtriam, artium & Philoſophiæ profeſſor conſtitutus, tanta cum eruditionis fama & auditorum fructu docuit, vt à Rectore & alijs celeberrimæ Salmanticenſis Academiæ doctoribus honorifica & præ cæteris potiora ſtipendia promittentibus vocaretur. Quam prouinciam non ſuſcepit quia Complutanâ profeſsione abſolutus, in illud vnum ieiunijs orationibus & Eleemoſynis incubuit, vt diuinam exploraret voluntatem, intelligeretque in quonam vitæ ſtatu maiorem Dei gloriam & animæ ſuæ ſalutem ſectaretur. Itaque maturo examine diſcuſsis pœnè omnibus religioſæ perfectionis in Chriſtiana rep. legibus, & commodam S. Auguſtini Regulam ſuæ conditioni opinatus, vtpote ſanctitati Euangelicæ proximè limitaneam, talemque, quæ nec rigore vires ſuas ſuperaret, vel laxitate ſua neruos diſciplinæ, & vigorem pietatis diſſolueret, eam amplecti conſtituit, ac florente diſciplinâ cognita, quæ in cænobio Salmanticenſium Auguſtinianorum erat, permotus etiam ſignis mirificis B. Ioannis de Sahagun, iſtic eo tempore religioſi, ad ſacram veſtem poſtulandam, vt iſtic & præſentis vitæ naufragia, & futuri ſæculi incendia

Prouerb. 4.

Thrin. 3.

Progreſſus in Studijs & doctrina B. Thomæ.

C vita-

Digitized by Google

vitare poſſet, Salmanticam profectus eſt. Rem illam parentibus, ipſi etiam
Matri non indicauit. Quod, vt ille dicebat, ſæpius ſerò nimis pijs filiorum
votis acquieſcere, ac plerunque etiam obluctari ſoleant, iuxta illud: *inimici*
Matth. 10. *hominis domeſtici eius.* Sacris igitur Virginis præſentatæ ferijs, optimo auſpicio,
magnâq; animi lætitia inundans, ſacro Auguſtinianæ Religionis habitu glorio-
ſus Chriſti miles accingitur. Factum benè! contubernia ſanctorum fructuoſa
Pſal. 132. ſunt. Admiratur ea regius Propheta: *Ecce quam bonum*, inquit, *& quam*
iucundum habitare fratres in vnum. Quod Ruſtico ſuadebat Hieronymus,
æmulatus eſt Thomas noſter. Quodnam illud? viuere ſub vnius diſciplina
Patris in conſortio ſanctorum, ſic ab vno humilitatem, ab alio manſuetudi-
nem, ab alio obedientiam & à reliquis cæteras virtutes habiturus. Sic &
Athanaſius magno Athanaſio teſte inter multos potius, quam ſolitarius viuere appetijt
in vita S. magnus Antonius, quia ab omnibus, cum quibus erat, boni aliquid elicere
Antonij. ſatagebat, vnde ille quaſi vniuerſarum virtutum fontibus irrigatus, omnium
in ſe vno dotes expreſsit. Ac ſanè vt maximè laudabilis ſit ſolitudo, eam ta-
men non omnibus conuenire quotidiano ſenſu experimur. Ad Thomam
veniamus. Is nouitius iam, & qui tenellus adhuc dici poſsit ſacrarum exerci-
tationum Tyro ad omnem pietatem incumbit, tantoque animi feruore vni-
uerſa virtutum nomina æmulatur, vt breui ſpatio ſocios omnes in eadem pa-
leſtra deſudantes, modeſtia, caritate, manſuetudine ac præcipuo quodam ſilentij
cultu multis paraſangis anteiret, nam toto tyrocinij ſui anno, niſi interrogatus,
nunquam loqui viſus eſt. Bene ac ſapienter: exiſtimabat enim ſe, quod aptè
poſtea loqueretur non habiturum, niſi prius id per ſilentia collegiſſet. Vera
Silentium B. Thomæ. eſt paroemia: *loqui ignorabit, qui tacere neſciet.* Inſtituti etiam ſui meminerat
Thomas, amabat Religionem, ad eam non peruenturus niſi ſilere didi-
Iac. 3. ciſſet. Audite Apoſtolum. *Si quis autem putat ſe Religioſum eſſe, non refræ-*
nans linguam ſuam, huius vana eſt Religio. Ad perfectionem etiam tendebat
Ibid. Thomas: & vero, *ſi quis non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Reſiſtere
Diabolo, muniri aduerſus contrarias Deo poteſtates etiam exoptabat, ideo
taciturnus: etenim, *ſicut vrbs patens abſque murorum ambitu, ita vir qui non*
Prou. 25. *poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Quia enim, vt magnus ait Grego-
rius, murum ſilentij non habet, patet inimici iaculis, ciuitas mentis. Quare
Eccl. 22. merito, quid deſideraret ſapiens, diſsimulare non voluit, cum ait: *quis dabit*
ori meo cuſtodiam? & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam ab ipſis,
& lingua mea perdat me? profecto innumera hominum cohors eſt, quæ per
hanc labitur in perditionem, qui eam frænare potuit admirandus artifex fuit,
facilitatem habet motus, in vdo poſita eſt, facilis in lubrico lapſus ait Aquila
Serm. 28. Doctorum Auguſtinus. Frænauit eam Eleemoſynarius noſter, vt cætera deſint,
de verbis vel ob id ſolum encomio ſingulari dignus. Quin & ſomnus illi ſemper par-
Apoſtoli. ciſsimus fuit. Dormiebat, cum ſine noxa valetudinis vigilare non poſſet, atque
Somnus B. Thomæ. vt ſub ſpiritu caro eſſet imperium Domini ancilla pateretur acri caſtigatione
& frequenti eam compeſcebat. Lectum habuit ſtramineum, ſiue ſaccum paleâ
fartum, per ſacra aduentus & quadrageſimæ tempora, duros aſſeres, & ligneam
trabem,

Digitized by Google

trabem, cui caput inclinaret; nec latum interea vnguem à promiſſa legum domeſticarum obſeruantia recedens. Anno itaque ſacri Tyrocinij iam completo, votiſque ſolemniter & rite factis, tanta protinus & tam manifeſta ſanctimoniæ inditia in B. noſtro Thoma ſocij conſpexere, vt ad ſacerdotij dignitatem quamprimum capeſſendam hortarentur illi, ac Superior etiam imperaret. Annum itaque ætatis trigeſimum ſecundum iam præteruectus ſacerdos factus eſt, cumque per ſacra forte Chriſti natalitia primitias hoſtiæ Chriſtianæ Deo obtuliſſet, tanto deinceps ſemper cum pietatis ſenſu myſteria illa percoluit, vt prioribus illis, quæ per ea feſta dici ſolent ſacrificijs, ob vim lacrymarum, qua perfundebatur, diutius inhærere quotannis cogeretur, ſæpe raptus & extaſin paſſus, eoque ſplendore illuſtris, qui facile indicaret, quam dulci adtactu diuinæ præſentiæ anima pijſsimi Sacerdotis foueretur, quantoque ſpiritalium gaudiorum adfluxu inundaret. Tanta autem ſubinde claritas venerandi illius oris fuit, vt ei nullus, niſi deiectis in terram oculis, caliginem alioquin paſſurus, loqueretur. Ad cellas ſociorum non diſcurrebat, etiam in ſua ſemper ſolus, niſi aliter agere iubente forſan charitatis adfectu cogeretur. Contubernia itaque fratrum & alloquia euitabat, tametſi illi religioſæ diſciplinæ perquam obſeruantes forent, ſic ſemper aut alicui pio operi intentus, aut intra cellulæ ſuæ penetralia clauſus. In monaſterio Salmanticenſi Magiſtrum Sententiarum profeſſus, in eoque vniuerſim explicando doctrinam S. Thomæ Aquinatis angelicam ſecutus, de prædicando ad populum Dei verbo cogitare cepit. Cathedram itaque aſcendit, ad populum ſæpe dixit, tanto animi feruore, tamque admirabili zelo, vt omnibus reuixiſſe Paulus Apoſtolus, aut aliquis è cælo miſſus Angelus videretur. Alij eum admirati, Eliam nominabant, cuius olim diuinam eloquentiam ignibus & ardenti faculæ ſcriptura comparauit. Ignito ſimilis clauo, in penitiſsimos animorum ſinus penetrabat Thomas. Et quantus ab his ignibus Salmanticæ animorum calor fuit! quam felici germine pullulauerunt illa Euangelicæ prædicationis ſemina! Verbo dicam, per ſacras huius viri declamationes Salmantica cænobij optimè conſtituti imaginem geſsit: illa inquam in Hiſpania ciuitas, in qua magnus variorum ingeniorum concurſus, quæ vti in virtutes, ita etiam in vitium variè prona ſunt, ſedem habet. *Non tantum eius vrbis monaſteria nouitijs monachis redundabant, ſed & finitimorum opidorum cænobia, & omnium vrbium conuentus religione ſacra initiari volentibus vix ſufficiebant.* Ac huius rei non alius mihi teſtis erit, quam Ioannes Munnatones Auguſtinianus etiam Eremita, vnus inquam eorum, qui pondere ſacrarum concionum B. Thomæ permotus relictis mundi vanitatibus, Auguſtinianæ militiæ adſcriptus eſt, & ob præclaras animi ſui dotes, tanto poſtea apud Philippum ſecundum potentiſsimum Hiſpaniarum Monarcham in pretio habitus, vt ab hoc & Carolo Philippi filio præceptor, & Segobienſi ciuitati Epiſcopus donaretur. At vnde quæſo illa ſermonum gratia, vnde tantus innocentiæ fructus Auditores? profecto non aliunde, quam ab ipſa declamantis pietate manauit. Verè Gregorius dixit: *Verbi ſemen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.*

Efficacia concionum B. Thomæ.

Epiſcopus Segobienſis Conc. de B. Thoma.

Cc Faci-

Digitized by Google

Facile præcepta bonorum audiuntur. Et ſi vis me flere, dolendum eſt primum ipſi tibi. Bonus & innocens erat Eleemoſynarius noſter, amabat virtutes, quas commendabat, ob eam nempe rationem nunquam fruſtraneos doctrinæ ſuæ labores cauſſatus. Sic & facillime bonus Tobiæ filius erat, quare quia à patre eruditus non malo. Pulcrè de eo doctorum Aquila: *Tobias filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede Charitatis nuſquam errans.* Quid miramur ſæpe pertinaciam auditorum? quid animos bono obluctantes? quid lamentamur ad vota noſtra, iacto etiam copioſo prædicationum ſemine non germinare virtutes? ſi mali radicem quærimus, eam profectò, non in alio, quam in tepore noſtro, quam in propria vanitate poterimus inuenire. Eſto bonus, & facile tales auditores erunt, præito cum Tobia pede charitatis, & longa ſequentium filiorum admiraberis agmina. Longum per præcepta, breue & efficax per exempla iter eſt ad virtutem. Ita etiam in ſacris præſertim inſtitutionibus euenire ſolet, vt cuius vita deſpicitur, eius prædicatio contemnatur. Laudamus liberalitatem & auari ſumus, ſic irridemur, commendamus modeſtiam, & ſectamur ſuperbiam, ſic blaſphemamus. Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades prius tibi cognoſceris perſuaſiſſe. Eleemoſynarius noſter cepit facere & docere, ab alio nil exegit, quod in illo prius non inueniſſes, verba factis meliora non fuerunt, coluit Iuſtitiam, odiuit vitia, amauit virtutes, præiuit omnibus pede charitatis, ac in tantum fructuoſus Doctor fuit, quia vitæ viam cum linguæ ſonitu ipſa quoque bona opera ſacerdotis clamauerunt. Tantam autem in hoc ſacro prædicandi munere, ad peccati horrorem audientium animis cum amore virtutis eximio immittendum præclarus ille doctor felicitatem habuit, vt eius rei celeberrima per vniuerſam Hiſpaniam fama ad aures Cæſaris Caroli, ac religioſiſsimæ coniugis eius delata, deſiderio eum audiendi ipſi Principes caperentur. Dixit itaque apud illos, & tam ſuæ pietatis influxu in animos eorum illapſus eſt, vt eundem confeſtim concionatorem ſuum, ſibique in aulla valliſolitana ad id muneris aſsiduè præſentem eſſe iuberent. Plerunque ipſum Imperator cum coniuge audiebat, & quidem, vt vterque fatebatur, nunquam ſine mirifica mentis illuſtratione, & acrioribus ſtimulis ad diuinum amorem non incitati. Vix vnquam verba fecit, quin adeſſent Epiſcopi, Principes, Præſules, magnates, multique in omni facultate Doctores, *vti ſtudioſi Agricolæ teſtimonium meſsis fœcunda, ita aſsidui Doctoris documentum Eccleſia plena. Olympiod.* quin & hoc fertur, quamdiu Imperator Valliſoleti fuit, non vnquam ab eius ſacris concionibus abfuiſſe; quod ſi forte in ſacello Aulico nemo diceret, ad eum audiendum habitu priuato ſeſe ad alias Eccleſias conferebat. Eum etiam Ioannes Luſitaniæ Rex, ob eruditionis ac pietatis famam, abſente Cæſare, miſsis ad prouincialem Caſtellæ litteris ad ſe vocauit. Pio itaque Regis deſiderio ſatisfecit prouincialis. At protinus ob eam rem ſummus in Aula Valliſolitana luctus fuit, qui tum denique ceſſauit, cum Eleemoſynarius noſter, per Iſabellam Cæſaris coniugem, ad id precibus multis à Valliſolitanis interpellatam, quæque id à Fratre ſuo Luſitaniæ Rege impetrauerat, reuocatus eſt.

Libr. 10. Confeſſ. Cap. 34.

Extaſes B. Thomæ.

Tam

Tam frequentes autem, ſiue cum ad populum declamaret, ſiue cum diuina ſacrificia perageret, raptus patiebatur, vt ab omnibus Thomas noſter extaticus haberetur. Sæpe etiam diuinis officijs in choro iam cantatis eleuari ſurſum viſus eſt. Narrat F. Melchior de yebre Franciſcani ordinis Religioſus, & vir ſanctitatis nomine in Hiſpania clarus, Thomam noſtrum ſacro Aſcenſionis Domini feſto, cum ſummo mane canonicis precibus perſoluendis intentus eſſet, ad illam nonæ Antiphonam, *videntibus illis eleuatus eſt*, extaſi tam admiranda *Actor. 1.* correptum fuiſſe, vt in ea ad quintam vſque pomeridianam permaneret: cumque illum tunc ad ſe redeuntem Capellanus eius & aſsiduus lateri comes, ad genua eius prouolutus, iterum atque iterum, per ſi quid apud Deum promereri poſſet, obteſtatus eſſet, celare non dignaretur, quidnam illud foret, quod vndecim omnino horis ſic durauiſſet. Acquieuit tam obnixis precibus B. Thomas ac ingenuè confeſſus eſt, eo temporis momento, quo Antiphonam pronuntiaret, verba ſacra à multis Angelis quaſi de ore ſuo rapta, & in excelſum aerem delata, iſtic cum tanta Harmoniæ ſuauitate & melodia à cantantibus bonis genijs iterata fuiſſe, vt percepto concentu illo tam mirifico obluctari non poſſet, quin extra ſe raperetur, ac ſopito omni ſenſu tam dulciter cæleſtibus illis ſonis inhæreret, vt omne iſtud temporis ſpatium, vix horulæ medium ſibi videretur. Die quodam in Eccleſia maiore Burgenſi concionatus, cum magno animi feruore crucifixi imaginem in manu habens peccata reprehenderet, ductaque ab imis animi penetralibus voce adſtantes in hunc modum alloqueretur: Chriſtiane hunc adſpice, huc oculos Chriſtiane, protinus faciem multo lumine perfuſus, flammeuſque & ad loquendum minimè idoneus, in raptu ſubſtitit. Valliſoleti apud Cæſarem in cæna Domini, cum ea S. Petri ad Chriſtum verba protuliſſet: *Domine tu mihi lauas pedes*? eadem ingeminans *Ioan. 13.* & vernaculo ſermone dilatans: Domine tu mihi? Tu Deus meus? Angelorum gloria, cæli pulcritudo, omnis creaturæ Dominus, Tu mihi? Domine tu mihi? vlterius progredi non valuit, inſtarque duri marmoris in raptu ſic obriguit, vt à cælo oculi non verterentur, ac præ vi pietatis magna lacrymarum vbertate diffluerent. Etiam Propheta fuit Eleemoſynarius noſter. Cum ad eum *Propheta fuit B. Thomas.* forte Nicolaus de Witte Belga, B. Thomæ ſingularis amicus adueniſſet, nuntiaretque famulum ſuum, qui imaginem Crucifixi, quæ Burgis eſt, prodigijs claram veneratus erat, ſanitatem conſecutum, reſpondit Thomas id verum eſſe, ſed eam Dei benignitatem, quam in corpore expertus erat famulus, maiorem in anima Nicolai fore. Dicto euentus non defuit; is enim ſacro paulò poſt Auguſtiniani ordinis habitu indutus tantos in religione progreſſus fecit, vt à B. Thoma prouinciam regente, ad predicandum Indis Euangelium miſſus, & cum magna iſtic ſanctitatis opinione hac vita functus, à morte multorum miraculorum gloria fuerit coruſcus. Cum autem vehementi Eccleſiæ reformandæ & abuſuum tollendorum deſiderio teneretur B. Thomas, eamque rem ſæpe calidis & aſsiduis precibus à Domino poſtularet: accidit vt poſt ſacram miſſæ oblationem, non ſine lacrymis & inſolita animi deuotione, de Eccleſiæ ſtatu, & corruptelis Reip. Chriſtianæ cum alio itidem zeloſo, magnique no-

Digitized by Google

minis viro loqueretur. Ergo eum animo bono eſſe iubet, Chriſtum breui ſponſæ ſuæ adfuturum, ac remedia grauibus corporis Chriſtiani morbis oportuna allaturum. Iſtud vni ſeruorum Dei, qui ipſemet indubiè Thomas erat, reuelatam eſſe. Hanc prophetiam fuiſſe, ſubſecuta res comprobauit. Die enim ſequenti ad eum venit miſſus à Cæſare Carolo, Pauloque tertio Romano pontifice Curſor, cum litteris, quibus ad Concilium Tridentinũ vocabatur. Non potuit eo quidem proficiſci ob infirmitates & ſenectutis incommoda B. Thomas: in eâ tamen Synodo per ſpiritum & orationes præſens fuit. Nam vt præ concione quadam retulit vir præſtantiſsimus Pontius de Leon, cum multi Valentiam veniſſent Epiſcopi, & inſtructâ claſſe inde in Italiam nauigarent: tanta repente tempeſtas oborta eſt, vt iam iam furentibus vndis abſorbendi omnes viderentur. Viſus itaque in illo diſcrimine adeſſe Valentinus Archiepiſcopus, mitigare baculo paſtorali vndarum aſſurgentium impetus, in naui etiam, qua Epiſcopi vehebantur, vt felice tandem portu potirentur medius ambulare. Cum adoleſcens quidam Valentiæ deploratè laboraret, ac ipſis quoque medicis ſpes non eſſet, pro remedio Thomas fuit; vocatis enim amicis bonoque animo eſſe iuſsis, vt Doctori Aguilario rem committerent, ſuaſit, paruerunt illi, ac infirmus ſanitati tum reſtitutus, qui ciuis Valentinus P. Chriſtophorus Perez de Almaçan Societatis IESV ſacerdos luculentum eius rei poſtea teſtimonium præbuit. Cum in æde parochiali S. Virginis, ac Martyris Catharinæ Clerus, non ad aliorum quam ad humanda clericorum corpora locum ſibi in maiore ſacello delegiſſet: Archiepiſcopus illud non ex æquo, ac cum præiudicio aliorum fieri ratus, eos ad ſe vocatos ab incepto vt deſiſterent, monuit. Eidem Eccleſiæ vtile fore, ſi locus ille Clericorum ſepulturæ deſtinatus, eius monumenti vacuus permaneret: ſuperuenturum illi graue aliquando incendium, poſſe tunc ſacellum alicui potenti & opulento aſsignari, cuius tum liberali manu eadem Eccleſia illata ſibi damna reſarciret. Quod prædixerat, euenit: anno enim milleſimo quingenteſimo quarto ſupra octuageſimum feria quinta maioris hebdomadæ ignis in Eccleſiam lapſus, grauibus eandem incommodis adfecit. Cum ad eum quidam è B. Thomæ Clientibus lætus hilariſque adcurriſſet, & maſculam ſibi à Domino prolem donatam eſſe nuntiaret: triſtior eum intuitus Thomas, non in virum euadet inquit, ſed antequam paucos etiam annos compleat, luctuoſum funus erit. Res dicto reſpondit, non ita multis enim poſt annis, adoleſcens ob facinus aliquod à ſe perpetratum, quod ætatis malitiam ſuperaret, occiſus eſt, paterque eam filij ſui mortem vlciſci auidus, in extrema rerum diſcrimiua prolapſus. Cum in Collegij ſacello, quod Valentiæ pro pauperibus ſtudioſis B. noſter Eleemoſynarius ædificauit, nullum humandis corporibus monumentum conſtructum eſſet, ſciſcitantibus eius rei cauſſam reſpondit Thomas, eam curam dimitterent, non fore id neceſſarium. Quidquid ſit, iam ab annis ſeptuaginta ſemper iſtic alumni fuerunt, ac etiamnum ſunt, ſæpius etiam graui ægritudine laborarunt nec hactenus tamen repertus vllus, qui diem iſtic extremum clauſerit. Etiam ſpiritualium nequitiarum domitor fuit B. Thomas, fugauit dæmonia, calcauit Serpentes. Neque mirum id

Digitized by Google

id adeo, cum æquum eſſe videatur ac iuſtum, vt qui ſui Dominus, ac turpium paſsionum victor eſſet, idem etiam inimicas diuinæ gloriæ, humanæque ſaluti poteſtates ſubiugaret. Prior Burgenſis in oratione & ieiunio quendam adeo obſtinatè poſſeſſum, vt quidquid alij molirentur, fruſtraneum foret, ea moleſtia liberauit. Iſtic etiam alias energumeno, qui arreptitius erat, & per interualla grauiter à Dæmonio adflictus, ſalutem adtulit. Cum graui ventorum tempeſtate ad variarum etiam ædium ruinas ciuitas Burgenſis quateretur, ad orationem confugit Thomas, in ea poſitus, ac quaſi à Deo cauſſam tanti turbinis edoctus, campanile aſcendit, viſiſque, quæ per aerem horribili & fœda ſpecie volitabant, omnemque illam cladem vrbi adferebant, dæmonijs, in nomine IESV Chriſti, vt iſtinc aufugerent, imperauit. Paruerunt illico, & quidquid antea terrori fuerat ac exitio, euanuit. Apud Alcoyum diœceſis Valentinæ opidum, puellam vno, mulierem verò nuptam à multis dæmonijs immunem fecit; Aliam item Valentiæ puellam, ac ipſius etiam prætoris Valentini filiam, quam Dominus ob leuitates quaſdam ea adflictione caſtigarat; alibi alios: quorum nomina particulatim hic recenſere, non facilè ob eorum multitudinem poſsimus. Cæterum non iſtis ſolum, quæ relata ſunt hactenus à Deo beneficijs honoratus Thomas fuit, at ſingularis eius animi moderatio, modeſtia, nulliique faſtidioſa grauitas, prudentia, rerum agendarum peritia, diſcretio in omni vita illuxit. Eas præcipuè virtutes Palatini Cæſaris, Auditores, Conſiliarij, Præſules, ac Hiſpaniæ magnates non ſine magno rerum ſuarum commodo frequenter admirati ſunt, eamque ob cauſſam ipſe Thomas à Cæſare Carolo, non ſolum ad ſacras conciones habendas adſumptus, ſed rebus grauiſsimi momenti, tametſi procul poſitus ab Aulla, adhibitus ſemper fuit. Votum eius apud Cæſarem ac ſuffragium vnicum multorum inſtar habebatur, quod quanti apud ſe ponderis eſſet, ipſe Cæſar innumeris ad fratrem Thomam ſcriptis epiſtolis ſatis declarauit. Binis vicibus Salmanticæ prior fuit, etiam tantum duobus poſt profeſsionem annis, tametſi in eo cænobio multi Religione ac doctrinâ præſtantes viri, ac nunquam idipſum ab Auguſtiniano Ordine in Hiſpania factitatum eſſet, ne cum ipſo quidem B. Ioanne de Sahagun, quem iſto Beati titulo Clemens octauus Pontifex inſigniuit, viro inquam ſummâ vitæ ſanctimoniâ ac miraculis claro. Binis etiam vicibus Burgenſis, ac totidem alijs Valliſolitanus prior fuit, etiam prouinciæ Rector, primum Andaluſiæ, dein Caſtellæ, ſed ita vt cogi deberet, conſtitutus eſt; quam fuerit zeloſus diuini honoris, & quam ſuæ religionis diſciplinam ſeruari optauerit, ex ijs quæ diximus, & dicenda ſunt, manifeſtum erit. Vnum dicam, oſorem eum, & omnium nouitatum, quarum aliqui tam amantes ſunt, inimicum fuiſſe, quod, vt ille aiebat, plerunque litibus generandis, & ſeditionibus concitandis occaſionem præberent; quoties delictum aliquod, quod letifero iaculo conſcientiam ſibi ſubditi ferire poterat intellexit, ieiunabat, in carnem ſuam, in alienam mallent alij, ſæuiebat, vt metanœam & meliora, quam pretioſus Chriſti cruor redemerat, erranti ouiculæ impetraret. Alij fulminant, duri ſunt, pœnis & vltione efferueſcunt, B. Eleemoſynarius noſter mitis, ac omniũ hominũ manſuetiſsi-

Fugat Dæmonia B. Thomas.

Prudentia, Cæteræque Morales virtutes B. Thomæ.

Manſuetudo ac benignitas B. Thomæ.

tiſsimus fuit; Talis etiã erat, cum Epiſcopus eſſet, qui per effuſa pietatis viſcera,
Gregorius in Paſt. cæterorum in ſe infirmitatem transferret; ab vnctione ſcilicet edoctus, quod
tunc ad alta charitas mirabiliter ſurgit, cum ad ima proximorum ſe miſeri-
corditer attrahit, & cum benignè deſcendit ad infima, valenter recurrit ad
ſumma. Conſiderabat etiam homines, homines eſſe, debiles ac infirmos, &
qui niſi aſsiduâ Dei gratiâ fulciantur, facile abeant in abrupta vitiorum, poſſe
peccare omnes, ac ſolum abſque delictis Deum eſſe. Forſan & illud legerat,
vitijs ſine nemo naſcitur, optimus hic eſt, qui minimis vrgetur. Quin & illud
non ignorabat, quod illi, qui præſunt tales ſeſe exhibere tenentur, quibus
ſubiecti occulta quoque ſua prodere non erubeſcant, vt cum tentationum
fluctus paruuli tolerant, ad paſtoris mentem, quaſi ad matris ſinum recurrant.
Super Cantica. Legerat & apud Bernardum: diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non
Dominos, ſtudete magis amari, quam metui, & ſi interdum ſeueritate opus
eſt, paterna ſit, matres fouendo, patres corripiendo vos exhibete, ſuſpendite
verbera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant. Sic vera charitas ſemper
compatitur, & omne iudicium ſuper ex altat miſericordia. Iniquum eſt ſanè,
vt qui æquâ cæteris naturæ conditione conſtringitur, tametſi eos ſorte poteſtatis
excedat, ex æquo reſpicere cæteros, & oculo mitiore dedignetur. Ita quoque
cum nulla praua paſsione mentem nubilam, at erga omnes verâ charitate
Ezech. 34. illuſtrem haberet, huius ſcripturæ egregiè memor erat. *Quod perierat non quæ-
ſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Nouerat & à ſapiente
dictum: *vir iracundus prouocat rixas, qui autem patiens eſt mitigat ſuſcitatas;*
Prou. 18. ac iterum: *ſpiritum ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?* Ideoque Apo-
ſtolus monet: *omnis* inquit *amaritudo & ira & indignatio, & clamor tollatur*
Epheſ. 4. *à vobis, cum omni malitia.* Et ſapiens rurſus: *in manſuetudine opera tua perfice,*
Eccl. 3. *& ſuper gloriam hominum diligeris. Quidquid animo lacerato dixeris, punientis
eſt impetus, non charitas corrigentis: dilige, & dic quod voles, nullo modo ma-
ledictum erit, quod ſpecie maledicti ſonuerit, ſi memineris ſenſeriſque, te in gladio*
Auguſt. in Cap. 6. ad Gallat. *verbi Dei liberatorem hominis eſſe velle ab obſidione vitiorum.* Ac profecto non
raro Catones illi ac feruentes Cenſorini, ſi ad veritatis trutinam facta eorum
expendi poſsint, deterioribus ſtudijs obnoxij reperiantur, etiam horrentes culi-
cem, ſæpe camelum deglubere parati. Qui optimi ſunt Rectorum, plerunque
in pœnas tardiſsimi, qui eorum peſsimus, ſupplicio ſuorum lætus. Leniſsi-
mus itaque B. Thomas noſter, ac planè benignus fuit, de ſeuerioribus tamen
pharmacis & amaritudine diſciplinæ etiam aliquando ſollicitus, hoſtis malo-
rum erat, ac dicere non verecundus: *nonne qui oderunt te Domine oderam, &*
Pſal. 138. *ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* ne illud audire ſcilicet cum malis paſtoribus
Ezech. 34. cogeretur, *quod fractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum fuerat, non reduxiſtis.*
Abiectos reduxit, quia lapſos ad ſtatum Iuſtitiæ ex vigore paſtoralis ſollicitu-
dinis reuocauit, quod fractum erat, alligauit, quia culpam diſciplina depreſ-
ſit, ne vſque ad interitum plaga deflueret, ſi eam diſcretionis ſeueritas non
coarctaret. At ſæpe deterius frangitur, cum fractura incautè colligatur, ita
vt grauius ſciſſuram ſentiat, ſi hanc immoderatius ligamenta conſtringant.
Leni-

Digitized by Google

Lenitatem itaque cum ſeueritate prudentia Eleemoſynarij noſtri temperabat, ſic vt neque nimia aſperitate exulceraret, neque nimiâ ſubditos ſolueret benignitate, infundens vulneribus ſuorum vinum zeli feruentis, & oleum pietatis mitigantis : memor quemadmodum olim in arca teſtamenti, tabulæ legis cum virga & manna erant, ita in pectore boni Præſulis cum ſcientia ſacrarum litterarum, virgam diſtrictionis & manna dulcedinis recondendum eſſe. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*, ait Propheta: virga enim percutimur, baculo ſuſtentamur. Sed ad alia procedamus. Thomas itaque noſter, vti pro animabus ſuorum maximè ſollicitus, ita etiam pro ijs quorum corpora indigerent, minimè incurius fuit, omnibus ſumma cum liberalitate ſuccurrebat, in refocillandis ægrotis etiam eximius, defectuum alienorum patientiſſimus, atque vt recto omnes coæquaret, Eliſæi illius inſtar, qui ſe paruulo vt reuiuiſceret, componebat, omnibus omnia factus, ac à ſeipſo quaſi diuiſus fuit. Conſtitutus præter animi ſui ſententiam Prouincialis, quam lacrymis & precibus apud illos, penes quos arbitrium rei erat, teſtabatur, confeſtim ad omnia monaſteria viſitanda ſeſe contulit, itinerum moleſtijs ac laboribus minimè parcus. paſsim quatuor præcipua ſuis commendans, atque vt exactam eorum curam haberent, diligenter monens. Primum diuina officia vt fierent non negligenter, ad ſenſum pſalmorum aliarumque precum animis attenderent, prolatio, eorum lenta, grauis ac diſtincta foret. Altaria cum ſacris vaſis omnique ſupellectile munda eſſent. Secundum erat, lectioni Sanctorum voluminum vt inhærerent. *Ama ſtudia ſcripturarum, & vitia carnis non amabis. Hierō.* Tertium, mutuam inter ſe charitatem, quod eſt vinculum perfectionis, haberent. Quartum denique, vt in eo ſe quiſque exerceret, ad quod à natura maximè idoneus erat. Dici non poteſt quam copioſum animarum gregem, à ſordibus vitiorum ad vitæ puritatem traduxerit, ſuaque charitate, prudentia, manſuetudine diuini amoris ignibus inflammarit. Cum & illud donum, quod ab Apoſtolo diſcretio Spiritûm nominatur, abundanter accepiſſet, facilè cognitis hominum conditionibus, apta ipſis ac conuenientia media, quibus ad probitatem venirent, abhibebat. Tam felice autem illuſtrium virorum, qui ſub eius diſciplina ſapientiam æmulati ſunt, ſobole fæcundus fuit B. Noſter Eleemoſynarius, vt per ea tempora, quibus primû in Indiam nauigari ceptum eſt, nemo ferè in ordine Auguſtiniano excellentium hominum exiſterit, quem non aut ſacra veſte idem induerit, aut ſolemnia eius vota acceptarit. Eiuſmodi in primis fuit Frater Hieronymus Ximenes non immerito Indorum Apoſtolus nominatus, principalis enim eorum ac Anteſignanus fuit, qui victo Satana per eas regiones glorioſum crucifixi labarum ſuſtulerunt, ac magna ſanctitate apud Indos mortuus, quadraginta iſtic Auguſtinianæ Religionis monaſteria conſtruxit, ac miracula plurima perpetrauit. Alter Franciſcus de Nieua fuit, de quo dicere ſolebat D. Ioannes de Tauera Archiepiſcopus Toletanus & Cardinalis, ſi ordines religioſi collaberentur, vnum ijſdem reſtaurandis ſufficere Franciſcum. Is cum à Carolo quinto propter ſingulares animi dotes Archiepiſcopus Granatenſis nominatus eſſet, nullo modo induci potuit, vt eundem acceptaret. Tertius Ioannes Euſtachius in tantum con-

Pſal. 22.

uerſioni Indorum incubuit, vt ob eam cauſſam Epiſcopus Ciuitatis Angelorum in noua Hiſpania crearetur, vbi cum magna ſanctitatis opinione die͂ extremum clauſit. Quartus Alfonſus de Oroſco fuit. Cæſaris Caroli, ac Philippi ſecundi Regis Catholici concionator, tanta ſanctitate ac tot miraculis clarus, vt Pauli quinti Pontificis maximi iuſſu in vitam eius inquiri ceptu͂ ſit, ad ſolennem Beati titulum illi donandum. Fuit vir ille Spirituale delitium Catholicis Regibus Philippo ſecundo ac tertio, ac Ser. Infanti Hiſpaniarum Iſabellæ Claræ Eugeniæ quam Deus longa & incolumi vita apud Belgas tueatur! Corpus Alfonſi etiamnum Madriti eſt, integru͂, & viuo ſimile. Quintus Ioannes de Moya, vnus eorum est nouem ſociorum, qui fama ſanctitatis per nouam Hiſpaniam clari, ſolitus erat, vt fors ferebat, non niſi mera corporis laſſitudine oppreſſus ſenſim in terram labi, ac ſine vllo lecto aut molliore culcitra, etiam ſine ligneis tabulis, ſomnu͂ capere. Cum aliquando per ea loca, vbi maxima caloris intemperies erat, iter faceret, per decem & nouem dies omni potu caruit, ac per plures etiam cibo: ſolis quibuſdam radicibus, quas iſtic reperire erat, vitam ſuſtentans. Verbis ſacris ac pauco oleo, quod in omnium vſu eſt, fiſtulas ac grauia vulnera percurabat. Sextus fuit Alfonſus De Borgia è clariſſima Borgiarum familia, vir litteris ac ſanctitate conſpicuus, ac primos inter noui orbis Euangelij prædicatores numerandus. Septimus Auguſtinus de Corunna fuit Epiſcopus de Papayan, noui etiam orbis eximium decus. Octauus demum Ferdinandus de Caſtrouerde Cæſaris Caroli prædicator, ac itinerum eius aſſiduus comes, etiam Epiſcopus ab eo de Iaen conſtitutus. Eius ex fratre Nepos fuit F. Franciſcus de Caſtrouerde itidem Auguſtinianus, ac Philippi ſecundi Regis Catholici concionator, quem idem Rex appellare ſolitus erat concionatorem regis, ac Regem concionatorum. Quanta autem apud omnes in veneratione & cultu, non in Hiſpania modo, ſed per Italiam quoque fuerit B. Thomas, vel ex eo ſolo liquet, quod paſſim omnes quantumcunque claræ conditionis homines ſumma animorum ſecuritate directionibus eius innixi ad eum velut ad Apoſtolum aliquem rediuiuum, aut Angelum è cælo lapſum ea omnia, quæ ad conſcientiam pertinebant, deferrent. Rem miram narraturus ſum. Cum in Hiſpania viri nobiles aliquot, in tantum contra Cæſarem deliquiſſent, vt eos ſine vlla veniæ ſpe extremo puniendos ſupplicio Cæſar ipſe decerneret, ac pro eis Cæſarem precarentur non pauci Hiſpaniæ magnates,
Authoritas Admirantius Aragoniæ, comes ſtabuli Caſtellæ, Toletanus Archiepiſcopus
B. Thomæ. D. Ioannes de Tauera, ipſe etiam tum temporis princeps Hiſpaniarum Philippus, ac ne pœnam quidem laxiorem ab Imperatore licet clementiſſimo impetrare poſſent: Ex ipſius Principis Philippi voto ad aulam vocatus Thomas fuit, per ea tempora Valliſoleti Prior, eoque rationum pondere, quas illi Dei ſpiritus ſuggerebat, Cæſaris animum permouit, vt quidquid ab eo poſceret, confeſtim obtineret, mirantibus id vniuerſis Cæſar reſpondit, ſe in gratiam prioris Auguſtiniani id feciſſe, illius preces vim imperij apud ſe obtinere, vt pote à vero Dei ſeruo viroque Sancto, & qui nunquam non exaudiri meretur, profectas. Tanta Cæſaris erga pauperem Religioſum, quod ſincero eum Dei timore præditum intelligeret, reuerentia fuit. Tam ſingulari autem animi cultu eum omnes in Hiſpania

Digitized by Google

ſpania proſecuti ſunt, vt quacunque Thomas per plateas incederet, è domibus illi honorem exhibituri, ac manibus eius, oſcula impreſſuri, cateruatim prodirent, illuſtriores etiam fœminæ per feneſtras à tranſeunte flexis genibus benedictionem poſtularent. In Italia autem Hieronymus Seripandus, qui per annos decem & octo generalis Auguſtiniani ordinis Rector fuit, poſtea quoque ad Cæſarem Carolum in regno Neapolitano legatus, à quo cum in Archiepiſcopum Salernitanum nominatus eſſet, demum à Pio quarto ob inſignem animi præſtantiam Cardinalis factus, & ad Synodum Tridentinam legatus miſſus, etiam B. Thomam noſtrum, vt antiquis Eccleſiæ Patribus parem eſt veneratus. Sed ad alia procedamus Auditores. Orationem Scholam eſſe Spiritus Sancti, in qua ſuos aureum illud, & quod è cælo deſcendit, Noſce teipſum, docere ſoleat, D. Auguſtinus ſcripſit. In illa etenim diuinæ comparata magnitudini creatura, quam infirma, vilis, paupercula, rerum omnium egena & à conditore ſuo pendula ſit, videre poteſt. In ea paleſtra frequens fuerat B. Thomas, ideoque ſuæ non ignarus infirmitatis, & quod vel ipſis Angelorum humeris formidanda ſit Epiſcoporum conditio, oblatam Archiepiſcopatus Granatenſis dignitatem, ad quam eum Cæſar Carolus promouere cupiebat, recuſauit. O magnanimam Thomæ indolem! o mentem beatam! quæ in tantum ab ambitione aliena ſit, ab ambitione inquam illa, quæ magnarum etiam mentium Scopulus eſt, ab illa quam futile malum, ſecretum virus, peſtem occultam, doli artificem, matrem hypocriſis, liuoris parentem, vitiorum originem, tineam Sanctitatis, cordium excæcatricem recte S. Bernardus appellauit. Sed in ea fælicitate, vt Epiſcopus non eſſet, quam tum ſibi conſecutus videbatur, viri boni modeſtia diu permanere non potuit: cum enim Valentinum Archiepiſcopatum reliquiſſet D. Georgius ab Auſtria, & à Paulo tertio Leodienſium Antiſtes conſtitutus eſſet, Cæſar de bono paſtore ſubrogando ſollicitus, ad id muneris Religioſum quendam ordinis S. Hieronymi elegit, eaque res vt diplomate ſuo firmaretur, mandauit, confecit itaque illud qui à ſecretis erat: Sed cum in diplomate is poni debuiſſet, quem Cæſar elegerat, eius loco B. Thomas de Villanoua poſitus eſt. Cæſar viſo diplomate, non vt ita ſcriberes inquit, tibi imperatum, non fratrem Thomam de Villanoua, ſed alium illum Hieronymiani ordinis Religioſum nominaui: attonitus Secretarius reſpondit, ſe non alium planè intellexiſſe quam B. Thomam: rem illico emendari poſſe, ac nouum fieri diploma, cui alius inſeratur. Nequaquam inquit Cæſar, ſed cum nec ego illum tibi nominarim, nec alius id tibi ſuaſerit, aut hominum gratia factum ſit, hoc Dei negotium eſſe, omnino exiſtimo, ratam itaque electionem hanc Cæſar habuit, ac diploma ſignauit. Miſsis igitur è Germania Valliſoletum, vbi prior Auguſtiniani Cænobij B. Thomas erat, litteris, cum magna repente omnium hanc ob rem oborta lætitia eſſet, ſoli Beati viri modeſtia triſtitiam ſenſit, ac non ante induci potuit, vt Cæſareo diplomati morem gereret, quam à Sereniſsimo Principe Philippo, qui tum paterno nomine Hiſpaniam gubernabat, imperium eius rei pateretur, ac ſub pœna etiam excommunicationis P. Franciſcus de Nieua prouinciæ Rector eum coegiſſet. Veri Pontifices hi ſunt, qui non ambiendo, ſed ſpiritualiter viuendo Sacerdotium meruerunt

Archiepiſcopatum Granatēſ. recuſat.

Charitas non eſt ambitioſa 1. Cor. 13.

Creatur Archiepiſc. Valentin.

runt, qui nihil ſibi applaudunt de præſtantia principatus, quoniam non inflammat eos honor acceptus, ſed exercet labor impoſitus, non cogitāt profectũ ſuæ excellentiæ ſed ſarcinā; non gloriantur, de dignitate, ſed potius ſudāt quaſi cõſtituti ſub onere. Paruit itaq; tandē B. Th. & Epiſc. factus, id vnũ ſuæ curæ relictum eſſe putauit, vt ea omnia, quæ per Apoſtolum præcepta ſunt, diligenter impleret: *Exemplum eſto fidelium* (1. Tim. 4.) *in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Pertrahi ad Epiſcopatum, pertrahi ad ducatum populorum, ad exemplar viuendi, ad normam irreprehenſibilem Euangelicæ vitæ, ad portandum onera aliena, ad intercedendum pro peccatoribus apud Deum; ad opus bonum, laborem, vigilias, ſollicitudines, inſtantiā quotidianam ſibi ſubiacentiũ Eccleſiarum, ſibi perſuaſit. Vultis vt verbo dicā Auditores, qualis, non ſine pauore tamen, ac vim etiam paſſus, ad Epiſcopatum venerit B. Thomas? Talis omnino fuit, qualem magnus ille Gregorius requirebat Antiſtitem: Studio caſtitatis mundus, abſtinentiæ robore validus, doctrinæ dapibus refectus, patientiæ longanimitate humilis, auctoritate fortitudinis rectus, pietatis gratia benignus, & iuſtitiæ ſeueritate diſcretus, cunctis carnis paſsionibus mortuus, & iam ſpiritualiter viuus, delictorum purus, cum aliena purgare non valeat is, quem adhuc propria deuaſtant. Conſecratus itaque Valliſoleti Archiepiſcopus Valentinus B. Thomas per Cardinalem D. Ioannem de Tauera Toletanum Antiſtitem, mane ſummo poſt oblata Deo miſſarum ſacrificia, vnico tantum Religioſo, & duobus eum comitantibus famulis, ne qui alij ſequerentur, Valentiam iter arripuit. *Beata Valentia! glorioſa SS. Mater Valentia! non poſſum profectò non immenſis te laudibus prædicare. De priſcis nominibus nihil dicam, ſed quam illuſtres Eccleſiæ filios vel hac vltima ætate genueris, ſine piaculo nemo ſilebit. Tuus Ludouicus Beltrandus eximiũ Dominicani cœtus ornamentũ, Tuus nuper Simon Clericus Sæculariũ Sacerdotũ lumen: è ſinu quoq; tuo magnus ille prodijt Franciſcus Borgia Gandiæ Dux, ille inquā, qui diuitijs, titulis, honoribus, omniq; ſæculi pompâ humilē Ieſu Societatē potiorē habuit, qui etiam ſummo muneri pares virtutes adferens, tertius eiuſdem familiæ rem vniuerſam gubernauit.* Venit in eam vrbem humili prorſus ac pannoſo indutus veſtimento, pileo etiam adeo adtrito tectus, vt iam omnem ei colorem perijſſe cerneres. Ingreſſus vrbem, B. Virginis monaſterium ab auxilio nuncupatum ordinis S. Auguſtini, per dies aliquot iſtic ad Epiſcopalia munia ſe paraturus intrauit. Exceperunt eum Religioſi gratulantibus animis, & non ſine maximo omnium gaudio hymnum ſolennem, *Te Deum laudamus* cantauerunt, ipſe reciprocam mercedem relaturus, bene omnibus adprecatus eſt, ita tamen vt præ lacrymarum vi verba ſanctæ precis vix enuntiare poſſet. Poſteaquam in illa domo religioſa paucis diebus fuit, magno magiſtratus Valentini & nobilium virorum comitatu ad Senatoriam domum perductus, ibidemque à Clero & collegio ædis metropolitanæ Epiſcopus ſalutatus eſt, & cum imago Crucis ſub tabernaculo acu phrygiâ eleganter & ſumptuoſe intexto poſita eſſet, ac ante eam humi poſita ex holoſerico rubeo puluinaria, ea conſpicatus vir humillimus, ſe inclinauit, ſuiſque manibus eadem ad latus ſeponens, ſolo proſtratus, adorauit crucem, pedemque imagini primum, ac mox humum ipſam non ſine lacrymis vber-

Proſp. c. 2. In Medit.

Vide vitam à Ioanne VVouerio Antuerpienſi V. Cl. conſcriptam.

Digitized by Google

vberrimè profluentibus oſculatus eſt. Poſt feſtiuos ignes, & alia lætitiæ publicæ argumenta, qualia vix vnquam ab hominum memoria in vrbe Valentina viſa fuere: primum & ante omnia carceres peccantibus Clericis deputatos, oſtendi ſibi poſtulauit, cumque eos velut antra quædam, ac cauernas ſubobſcuras ac triſtes, ſitu ac ſqualore horridos comperiſſet, admiratus loci fœditatem eos confeſtim terra compleri iuſsit, alijs modis Eccleſiarum diſciplinæ ac ſaluti fratrum noſtrorum proſpiciendũ eſſe, dicens. Per eos fortè dies cum ſummam Antiſtitis ſui paupertatem animaduerteret, obtulit ei quatuor ducatorum millia Collegium Metropolitanum.

Rectorem te poſuerunt? eſto inter illos, ſicut vnus ex illis. Eccl.32.

Itaque Antiſtes magna animi gratitudine eam pecuniam accepit, ac protinus non ſine optimo facti exemplo, vocatis ad ſe Xenodochij Valentini curatoribus eam impendi ad damna eius domus per incendium illata imperauit. Ad illam dignitatem euectus Thomas, contra morem plurimorum, qui cum ad ſublimia rapiuntur, etiam ſublimiore ſpiritu inflantur, de priſtinis moribus nihil remiſit, in ampliſsima fortuna continentiam coluit ſingularem, ac in omni victu, veſtitu, & rebus alijs, modeſtiæ ac religioſæ paupertatis amantiſsimus fuit.

Modeſtia, Paupertas, B. Thomæ.

Multis annis Archiepiſcopus non aliâ veſte vſus eſt, quam quâ vtebatur, cum in cœnobio apud ſuos eſſet, illam quoque ſæpius per alios, cũ grauioribus ipſe intentus eſſet, reſartam voluit, ac tam diu corpuſculo ſuo appendit, donec iam attrita omnino, ac inutilis foret. De togis, tunicis, induſijs duobus, iam planè veteracentibus ac obſoletis, vnũ ſæpè fieri iuſsit, quo non in aliũ finem, quam ad tegenda cilicia vtebatur; quin & ei penitius aliquod cubiculum erat, ijs omnibus quæ ad ſartoriam neceſſaria ſunt inſtructum, quod tunc ſolus ingrediebatur, cum ipſe proprijs manibus veſtimenta ſua in morem pauperis Religioſi reparare vellet. Non æſtimabunt fortaſsis illa, ac ridicula quoque dicent & Archiepiſcopali culmine indigna homines quidam, elati corde, tumidi, arrogantes, quique cæco planè ac peruerſo iudicio omnem ab externo ſplendore magnitudinem metiuntur. At alia ſunt iudicia hominum, alia Dei, quæ nobis minutula, in conſpectu Domini pretioſa ſunt, ac magni indubie ponderis apud eum videlicet, *qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra.*

Pſal.112.

Non ab animi vilitate, non ab auaritiæ ſordibus, iſta parſimonia fuit, ſed ab amore intimo religioſæ paupertatis, à flagrante quoque deſiderio, tanto liberalius inopibus ac adflictis ſuccurrendi. Hilarium Arelatenſem magnum Auguſtini magni filium imitatus eſt B. Thomas noſter, vt aliquid ſemper, aliquid amplius haberet, quod in pauperes erogare poſſet, poſt omnia ipſis diſtributa, etiam agriculturæ labores non exhorruit: Sic vt Chriſti membra paſceret, exiguam ſui corporis rationem B. noſter Eleemoſynarius habebat; legerat aliquando, *fiat refectio pauperibus, abſtinentia ieiunantis.*

Leo.

Vtinam immodicus ille multorum hominum luxus ſalubribus maximorum patrum documentis vel in modicum ſaltem reſtringatur! Audite indignabundum Ambroſium: Parietes veſtitis auro, homines nudatis, clamat ante domum tuam nudus & negligis, & tu ſollicitus es, quibus marmoribus pauimenta veſtias. Pecuniam pauper quærit, & non habet, panem poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit. Audite Presbyterum Stridonenſem. Parietes diuitum fulgent gemmis, & in paupere Chriſtus fame

Digitized by Google

periclitatur. Audite & Aquilam Doctorum Hipponenſem Epiſcopum, glorioſa eſt effuſionis inſania, & opera miſericordiæ irridentur, ex his quæ abundant diuitibus, luxuriantur hiſtriones, & neceſſaria vix habent pauperes. Erubeſcite luxurioſa tempora: Quantum à Chriſto, ab admiranda Apoſtolorum continentia, à ſimplicitate & modeſtia primorum Chriſti fidelium receſsiſtis. Chriſtum præſepia arctant, freno & ſtramini indormiſcit puerulus, fouent illum animalia ruſticorum, aurum & argentum non habet Apoſtolorum princeps, ſine ſuppellectile viuunt Apoſtoli, ſine abaco fulgente Sancti patres, etiam quo conderet teſtamentum, pauper Chriſti non habuit. Sed ad Eleemoſynarij noſtri modeſtiam reuertatur oratio. Ad eum cum forte nulli de aduentu ſuo locutus, ac cubiculo non obſerato Canonicus quidam adcurriſſet, & Archiepiſcopum tibialibus ſuis veſtimentis reſarciendis occupatum inueniſſet, obſtupuit, ac, poteſtne inquit fieri, vt iſtis minutijs reuerentia tua teneatur, quas ære modico ſartorum quiuis percurare poſsit, cumque idem veſtimentum è manibus Antiſtitis Canonicus auferre moliretur, obſtitit humillimus præſul, reſponditque, ſe tametſi in Archiepiſcopum electus eſſet, manere nihilominus Religioſum, poſſe etiam illa pecuniola cras pauperem ali, iſtud ſibi beneficij tantummodo impertiretur, ne quem huius rei faceret certiorem. Per tantum vero temporis extima religioſa veſte ſua vtebatur, vt omne eius famulitium ad conſpectum illius erubeſceret, ipſe inuerecundus ac planè conſcius, ſi id ſordidum apud homines, neglectumque eſſet, in oculis Dei pretioſum haberi, ac illuſtre, ac quanto quidem corpus vilitate indumenti obſcurius, tanto etiam animam ſpiritualium delitiarum ornamentis fieri clariorem. Ipſi etiam Canonici ad pannoſitatem illam verecundi ſæpius eum obteſtati ſunt, veſte aliqua meliore, & quæ aliquatenus dignitati ſuæ vocationis reſponderet indui ne grauaretur, quibus omnibus cum iucunda grauitate ſubridens reſpondit, ſe agere quidem gratias eorum ſollicitudini, at nullatenus etiam labefactari Archiepiſcopi dignitatem, ſi in morem pauperis Religioſi, qui eam continentiam ſolemnibus votis promiſerat, veſtiretur. Ad auctoritatem quoque paſtoralis officij non pertinere qualia haberet indumenta, ſed quantum pro Dei gloria ac animarum ſibi relictarum ſalute ſollicitus eſſet. Ad quæ cum nihil reponere auderent Canonici, ipſe illorum precibus hoc conceſsit, vt pileolus, quo propter calores in æſtate vti conſueuerat, è ſerico eſſet, quem cum ſubinde elatâ manu obſtentaret, en inquit cum lepore, & liberali quodam ſale, quem alijs in rebus adhibere ſolebat, hic Archiepiſcopatus meus eſt, non enim aliter capitularibus Dominis Archiepiſcopus apparebo, niſi tam elegante pileolo caput hoc contegatur. Victus autem ratio in Antiſtite laudatiſsimo hæc fuit. Ad communem ſportulam, quæ Caſtellanis ordinis Auguſtiniani Eremitis donari conſueuit, menſæ ſuæ nil adhibuit, ſi qui aderant conuiuæ, eos addititio fortè ferculo honorabat. Nullus præter ſolitum ſumptus fuit, quem non ægro animo pateretur. Cum die quadam lampetram emiſſet Oeconomus, eamque quatuor regalibus conſtitiſſe percunctanti pretium Epiſcopo nunciaret: cur inquit ille, quod adeo carum pro me emitur? Infectum velim. At inquit œconomus plures id fecere, idemque illis pretium minimè graue fuit. Itane? reſpondit Epiſcopus, in

Menſa B. Thomæ.

forum

ſorum igitur piſcem refer, & quatuor iſtos regales tuos, pluſquam quatuor pauperibus alendis impendemus. Mihi par ouorum aut piſciculus aliquis ſuffecerit. Talis ac tantus in hac etiam re Eleemoſynarius noſter fuit. Sciebat ex bonis Eccleſiæ ſola nobis alimenta, non gulæ irritamenta deberi. Etiam non aliter doceri ſobrietatem, & ſplendidos aliorum apparatus caſtigari poſſe, niſi eam ipſe domi ſuæ continentiam ſectaretur. Audite Hieronymum: ignominia & confuſio eſt, Ieſum Crucifixum pauperem & eſurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre. *Non confundant opera tua ſermonem tuum: ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet intra ſe dicere poßit, cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis; delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre diſputat de Ieiunijs, accuſare auaritiam & latro poteſt, Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent. Hier. ad Nepotianum epiſt.* 2. Omnibus etiam Chriſtianis ait Dominus: *Attendite vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ*, Luc. 21. Quanto ergo magis hoc ad ipſos Chriſtiani populi duces ac magiſtros pertinebit. Apoſtolum quoque æmulabatur Thomas de quo magnus Gregorius, epiſt. 53. ad Natalem Epiſcopum, Sicut Apoſtolus Crucem quotidie portabat in corde per compaſsionem proximorum, vnde dicebat, quis infirmatur & ego non infirmor? ita Crucem abſtinentiæ quotidie portabat in corpore, ideoque dicebat, caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, prædicare enim & non macerare carnem, exiſtimabat eſſe aërem verberare, ideoque præmiſerat non quaſi aërem verberans. Vultis ideam Epiſcopalium conuiuiorum Auditores? idem Pater vobis eam exhibebit: conuiuia tunc veraciter ex charitate fiunt, cum in eis nulla abſentium vita mordetur, non inanes in eis ſæcularium negotiorum fabulæ, ſed lectionis ſacræ verba audiuntur, & cum non plus, quam neceſſe eſt ſeruitur corpori, ſed ſola eius infirmitas reficitur, vt ad vſum exercendæ virtutis habeatur. Hæc ſi vos in veſtris conuiuijs agitis, abſtinentium fateor magiſtri eſtis. Ab omni profecto vanitate procul B. Thomas fuit, menſa frugali, ſupellectile parcâ & exili, nullo larium, at magno virtutum ſplendore veriſque animi bonis dignitatem ſuam tuebatur. Domi ſuæ holoſericos pannos, tapetia, periſtromata nulla permittebat, etiam lineo linteamine nunquam vſus fuit, niſi cum illud deterior valetudo exigere videretur, è ligno illi lectus, ſub capite dormitabundo lapis fuit. Omnibus diebus per ordinem conſtitutis, multiſque alijs, quibus id liberum, ieiunabat; per aduentum ac quadrageſimam quartâ ac ſexta feriâ, per omnes item anni vigilias clam ſolo pane & aquâ contentus erat, alijſque vt ſolitas menſæ horas ſeruarent admonitis, ipſe ſe ijs diebus ſeram appetere refectionem dicebat. Cum autem intelligeret B. noſter Antiſtes eam ſui muneris eſſe rationem, vt non ſibi vel domui ſuæ curâ paſtorali proſpicere ſolum teneretur, ſed omnibus planè ſuæ diœceſios hominibus. In Epiſcopali ſpecula conſtitutus quaqua verſum perſpicaces mentis oculos per vniuerſam illam ſuam diœceſim contorquens, in omni pœne hominum conditione, quod animabus in vltima ſalutis diſcrimina propellendis aptum eſt, ac fontem omnis mali, originemque vitiorum appellare poſsis, mores inquam ſolutiores, ac nimiam diſciplinæ laxitatem deprehendit; ad eam itaque curandam

Patrimonia ſunt pauperum, facultates Eccleſiarū.

Ad Secundum.

Prædicatio B. Thomæ.

Digitized by Google

dam confeſtim omnes Eccleſias Valentinæ ciuitatis, ac mox totius ſuæ diœceſios viſitauit. Nuſquam ſe conferebat, vbi non prædicando populum hortaretur. Etiam in minimis Eccleſijs eius diuina vox audiebatur. (*Chriſtus vicos & caſtella obambulabat, iſtic etiam voluntatem patris ſui annuntians.*) Tanto ſpiritus feruore; vt faculis ardentibus incendi, radijſque è cælo lapſis illuſtrari pectora audientium viderentur. Non ignorabat ſcilicet Apoſtolicum illud B. Thomas:
2.Tim.4. *Teſtificor coram Deo & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & per aduentum ipſius & regnum. Prædica verbum.* Greg. *Lingua Epiſcopi fomentum ſit bonis, aculeus malis: tumidos retundat, iratos mitiget, pigros ac deſides exacuat, ac ſuccendat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur.* Eam ergo præcipuam ſui muneris partem eſſe abundè didicerat, quid à patribus ſcriptum, itidem non ignorabat. *Debitum rectoris eſt*, inquit Gregorius: *ſupernæ gratiæ Gloriam per vocem prædicationis oſtendere, erudire populum, agere doctorem, quanta in huius vitæ itinere tentamenta antiqui hoſtis lateant aperire.* Idem: *Audiatur ſonitus* Exod. 28. *ingre-*
Greg. *diente tabernaculum pontifice, nam ſic irã contra ſe occulti Iudicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit*: ac iterum: *parum prodeſt, ſi vitæ ſublimis operatione ſuffultus ſit prædicator, ſi loquendo non valet ad hoc alios excitare, quod ſentit.* lib. 31. moral. c. 11. & idem alibi: ſic Epiſcopus rectè viuat, vt tamen ardentia proximorum corda fluentis doctrinæ irrigare non ceſſet. *Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe reuocet, ſed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi vacet. Conc. Cathag.* 4. Ita nullum ſublimius in Epiſcopo miniſterium diuinis prædicationibus Patres agnouerunt, quin & in eo gloriabatur Apoſtolus Rom. 15. *Propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in gentibus ſanctificans Euangelium Dei*: & rurſus: *non erubeſco Euangelium*; ac alibi: *Per triennium non ceſſaui die, & nocte cum lacrymis monens vnumquemque veſtrum. Act.* 20. & ad diſcipulum ſuum: *Attende lectioni & exhortationi & doctrinæ, inſta in illis: ſic enim te ſaluum facies, & eos, qui te audiunt. 1. Tim.* 4. Ad quod & hortatur mellifluus pater: non erubeſcas Euangelium, opus fac Euangeliſtæ. Manifeſta illis veritatem, ſi dicis, irrident me euangelizantem, ideò tu
Bern.l.1. ad Eug. magis inſiſte opportunè, importunè, clama, ne ceſſes, ſi forte audiant & quieſcant L. 3. ad Eugen. Iterum: ſis potens in doctrina ſana, à Deo conſtitutus es iuxta Iordanem Epiſcopus, eſto vox clamantis in deſecto. *S. Carolus Borromæus citatioris linguæ fuit, nec tanta verbi gratia pollens; in prædicando nihilominus diligentiſſimus*: vide vitam. At alijs occupantur Antiſtites, forte quis dicet; fateor, legitima quandoque huius rei impedimenta eſſe. Præcipuum tamen hoc eorum eſſe munus, Tridentina Synodus declarauit. Alij alia negotia obeant, minutioribus minutiores occupentur. Iterum audite Bernardum. De poſſeſſiun-
Lib.4.ad Eug. culis hominum parum ſollicitus ſis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, eos ad iudicandum ſtatuite; tu attende lectioni, ſtudijs ſcripturarum mentem paſce:
Act.6. *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*: aiebant Apoſtoli; aliũ ergo pone, qui pro te molat, & ſolus implicetur, etiã fraudulentos pati-re, Iudas fur fuit. Eueniunt tamẽ, vti dictũ eſt, ſubinde legitima huius rei impedimenta, vt corporis ægritudo, vrgens Eccleſiæ neceſſitas, aut aliud ſimile quid-piam,

Digitized by Google

piam, quod ſalua iuſtitiâ omitti non poteſt; Quod ſi adijcitur, magis diſerti ſunt alij, minore id à me cum gratia fiet, eſto, nil refert: muneris ſui rationem reſpicere quiſque tenetur, nec ad eruditionis, aut facundiæ laudem in cathedram imus. Etiam minus docta, minus terſa magnum ab auctoritate dicentis pondus habent, etiam quid elegantius, quid politum magis vel minus ab imperito populo non facile diſcernitur, ac maiore etiam cum libentia à patre cibum, quam à pædagogo captamus. Quod ſi etiam parum proficimus, animo non vacillemus: aquarum venæ, etiamſi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes, quamuis hauriat nemo, ſcatebras emittunt: nos officij noſtri non pigeat; indomito eſt corde populus, inquit ille, neſcis an indomabili, tu officium tuum fac, planta, riga, Deus cum volet incrementum dabit. Sic plantauit, rigauit, numeri ſuo ſatisfecit B. Thomas, ac mirificum Deus incrementum dedit, tanta enim repente morum per ſacras eius conciones in melius commutatio facta eſt, vt ad conuerſionem populi illius aut Apoſtolus aliquis, aut Angelus è cælo miſſus videretur. Luſtratâ diœceſi Synodum Diœceſanam confeſtim celebrauit, in eaque ſtatuta talia condidit, quæ vitijs emendandis, ac deprehenſis paſsim corruptelis idonea forent. Ad nulla negotia ſe accingebat, niſi Moſis illius inſtar Tabernaculum ingredientis, per orationes à Patre luminum mentem ac conſilium petiuiſſet. Sciebat non meliora rerum agendarum, quam ab orationibus ſacris auſpicia capi poſſe, eas optimas diuinæ voluntatis exploratrices eſſe, per eas mentem illuſtrari, prudentiam naſci, euenire cuncta feliciter. *Perſeuerare in oratione eſt caput totius boni inſtituti, ac vertex omnium honeſtarum actionum, cuius beneficio reliquas à Domino virtutes obtinemus Macar. Hom.* 40. *Semper liber atque expanſus maneat ſpiritus ad radios Domini & poſt orationem igneam maneant cineres æſtuantes ad tempora negotiorum. Ambr. l.* 10. *epiſtolam* 28. Si quis Eccleſiarum regimini admouendus erat, cum Apoſtolis etiam orabat noſter Eleemoſynarius. *Domine oſtende quem elegeris*. Act. 1. ita facilè dignos promoturus. Cum quinam promouendi ac populis præponendi eſſent à Domino aſsiduis precibus ſcire laboraret; neque temere aut præcipitanter faciebat B. Thomas ſecutus Apoſtoli monitum: *manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis*, ac multo minus per gradus ad altare, quod in veteri lege omnino prohibitum, aſcendebat, aut vllam carnis & ſanguinis, cum iniquum eſſe ſciret, quod illa reuelarent, in titulis ſacris conferendis rationē habebat. Sic neque Sanctum canibus, aut margaritas porcis aliquando donaturus. In ijs itaque omnibus ad orationem ſemper confugit, ac quantumuis ei grauis, ac oneroſa foret negotiorum moles, non per eam tamen aut meditationis ſtudium aut contemplatio diuinorum, aut deuotionis vigor, ſacrificiorumque iteratio in B. Thoma noſtro fatiſcebat. Meminerat Gregorianæ Doctrinæ, parte 2. paſt. c. 5. *Sit Epiſcopus ſingulis per compaſsionem focius, ſuper omnes contemplatione ſuſpenſus.* Interiorum curam exteriorum occupatione non minuebat. Poſt vertigines ſæcularium cauſſarum, ad colloquia ſpiritualia, ad dulcedinem internam, ad animæ cibum, quo ad labores vineæ, ad portandum pondus diei & æſtus fortis fieret ac fluxum cordis inter humana verba, ac minorem

Chryſoſt. Conc. 1. de Laz.

Bernard. ad Eug.

Promotio dignorum.

1. Tim. 5.

E forte

Deuotio B. Thomæ. forte externa ſollicitudine cæleſtium deliciarum curam ſacris meditationibus iugiter inſtauraret. Sinè pietate ſe nulli rei idoneum fore ſentiebat, illam eſſe fontem aquæ viuæ, ſine quo mox omnia etiam maximarum virtutum exercitia *Qui ſibi nequam cui bonus.* exareſcant. Querebatur id Propheta cum diceret: *aruit tanquam teſta virtus mea* Pſal. 21. *Mens deficit, quam accepta Eucharistia, non erigit & accendit: Cypr. epiſt.* 2. Sic attendebat ſibi B. Thomas, vt aptus eſſet poſtea, qui attenderet vniuerſo gregi, ac quantumuis ſupra modum illi ſaperet illud cæleſte pietatis manna, ac illo contemplationum balſamo omnem ſanitate paſsionem libentiſsimè perfunderetur. Adeo vt ſæpe extaticus totuſque diuinus, ſæpe etiam magno lacrymarum flumine madidus à ſuis viſeretur, quamuis inquam omnino illi in tabernaculo permanere, ac iſtic immolatâ iugi vociferationis hoſtiâ *Donum Conſilij.* Dominum deprecari iucundum foret. Exiuit tamen, ac monte relicto, etiam pugnaturus contra Amalec in campum deſcendit, & cum non ſuum ſe, ſed ouium ſuarum paſtorem eſſe meminiſſet; ſi quis ad eum forte aduentaret, vt per famulos ita monitos, ab orationibus ſuis continuo traheretur, imperauit. Per aſsiduum autem iſtud piarum orationum ſtudium, inter alia Spiritus Sancti dona id peculiariter obtinuit, quod *Conſilij* appellatur, per illud omnibus, quod aptiſsimum erat, ſuggerebat. Multi legibus ac canonum ſcientia exercitatiſsimi viri nunquam non debuiſſe ſe pedibus, vt aiunt, manibuſque in ſententiam huius Antiſtitis ire teſtati ſunt. Tanta autem in orationibus illis fiducia B. Thomæ fuit, vt quoties altero die aliquod magni ponderis negotium ob- *Luc. 6.* eundum foret, prius in morem Chriſti, qui ante Apoſtolicam electionem idem fecit, non ſine lacrymis, & corpore etiam multoties ad ſanguinem vſque verberato, in oratione Dei pernoctaret. In illa Dominus ei multorũm neceſsitates corporeas reuelabat. Cum vice quadam ſic intellexiſſet, indigere panibus Patres Franciſcanos in Cænobio noſtræ Dominæ de Ieſu, binis eis cophinos panum plenos per ſuum miſit, ad veſperam Cænobij Præfectus ad Thomam veniens, egit gratias, ac ſciſcitatus, qui eam ſuorum neceſsitatem ſciuiſſet B. Pater, aliud hic reſpondit nihil, quam ſe id manè ſenſiſſe; tacuit itaque de ea re præfectus idem, cum quod reuelatum erat, ei humillimus præſul aperire nollet. Alias cum ea ratione ad ſupplicij locum ductari quendam cognouiſſet gabalo mox affigendum, cuius delictum ſolo Sacramenti pœnitentiæ arcano violato manifeſtum erat, vocatis ad ſe iudicibus perſuaſit, neminem ſic condemnari poſſe, ac plenam reo libertatem impetrauit; cum oraret ſemel, obnixeque Domino commendaret prauum clericum carceri incluſum, vidit imaginem crucifixi, quam in oratorio ſuo venerabatur copioſo ſudore ſanguinis manantem, & ecce aduolat confeſtim ad Antiſtitem præfectus carceris, magnoque eiulatu nuntiat ſibi propriâ manu gulam fregiſſe clericum. Ad carcerem itaque properat B. Thomas, clericumque humi rupto fune repertum, ac pœnè gelidium allocutus, an neſcis, inquit, quanta te caritate Chriſtus Ieſus redemerit? pretioſus ſanguis eius pro te effuſus eſt? aſſurrexit Clericus & ad genua Antiſtitis prouolutus: bone pater, inquit, per amorem Dei te rogo, ignoſce, per orationem tuam ab horribili caligine liber ſum, & lucis amæna claritate iam fruor.

Digitized by Google

fruor. Sed ad alia pergimus Auditores. Non eſſe ex omnibus vllam paſtoribus magis neceſſariam virtutem, quam charitatem, & ſi alia nulla nos docerent, vel Dominus ſolus luculentè nos doceat, cum non ante ad Paſtoratum vniuerſæ Eccleſiæ B. Petrus ab eo promotus eſt, quam trinâ interrogatione coram Sacro Apoſtolorum collegio examinatus, ſe verè diligere iteratis etiam reſponſionibus teſtaretur. Emicuit in magnis B. Thomas, in charitate maximus fuit, quæ virtutum mater, virtutum anima, virtutum regina, bonorum omnium Cyclus. Ardebat itaque ad proximorum ſalutem pijſsimus Antiſtes, omnia tentabat, omnibus omnia fiebat, vt omnes lucri faceret, viuum illud in pectore cum diuo Apoſtolo ſentiebat. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandaliſatur & ego non vror?* Elogium vnicum at mirandum audiamus: *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, 1. Cor. 13. *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Alueo breui, paucis verbis immenſus conſtringitur oceanus ſanctitatis. *Vt ſolus educandis per mille moleſtias liberis parentum amor: ſic parturiendis in Chriſto & in virum perfectum educandis animabus ſola charitas ſufficit. Quomodo? Charitas in aduerſitatibus tolerat, in proſperitatibus temperat, in duris paſsionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſsima, in hoſpitalitate latiſsima, inter veros fratres lætiſsima, inter falſos patientiſsima eſt, Charitas inter opprobria ſecura, inter odia benefica, inter iras placida, inter inſidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate reſpirans, in virtute congratulans. Aug. de laud. Charit. Ac alius Pater. Cum vna eademque ſit charitas, ſi mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit, cuius ſententiæ rationem perſequitur his verbis. Charitas enim cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ipſa ſibi fieri ab altero expectat, penſat ergo vt malis bona, & bonis meliora rependat*, vt erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peſte languentibus gratiam benignitatis impendat, vt diſcordes in pace muniat: vt concordes ad concupiſcentiam veræ pacis attingat: vt indigentibus neceſſaria tribuat, vt adflictos verbo & compaſsione mulceat: vt accenſos in huius mundi deſiderijs increpatione reſtringat: vt minas potentium ratiocinatione mitiget, vt oppreſſorum anguſtias, quantâ præualet ope, leuet, vt foris reſiſtentibus opponat patientiam: vt intus ſuperbientibus exhibeat cum patientia diſciplinam: vt erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio non eneruet, ſic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feruendo tranſcendat: vt ingratos beneficijs ad amorem prouocet: vt gratos quoſque miniſterijs in amore ſeruet: vt proximorum mala cum corrigere non valet, taceat: vt quæ corrigi loquendo poſſunt, ſilendo conſenſum eſſe pertimeſcat, vt ſic ea, quæ tacet, toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet: vt ſic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam rectirudinis excidat, vt cuncta proximis quæ præualet, impendat, ſed hæc impendendo non tumeat, vt ſic in bonis, quæ exhibet, tumoris præcipitium paueat, ne tamen à boni exercitio torpeſcat: vt ſic quæ poſsidet, tribuat, quatenus quanto ſit largitas

Charitas B. Thomæ.

Digitized by Google

remunerantis attendat, ne cum terrena largitur, ſuam pluſquam neceſſe eſt inopiam pertimeſcat, & in oblatione muneris hilaritatis lumen triſtitia obſcuret. Eam igitur tam eximiam habuit B. Thomas, vt in ſeipſo etiam grauiter ac ſeuerè aliorum errores caſtigaret, pro alijs ipſe pœnitentiam ageret. Peccauerat quidam, & durus in malo hærebat Clericus, eum itaq; hic inferno erepturus ad ſe vocatum, ac ſanctis admonitionibus obluctantem acriter increpans, mea, inquit, tuæ prauitatis culpa eſt, mihi tua durities imputetur, nimium indulgeo, non pro meritis malitiam illam caſtigo, & ego reus ſum, & ego ad pœnitentiam teneor. Sic effatus ad imaginem crucifixi pronus decumbere, ac fuſus in lachrymas, tanto rigore ſe verberare, vt omne ei veſtimentum præ ſanguine copioſo madeſceret. Obſtupuit ad illa prodigia Clericus, & ad genua Antiſtitis prouolutus fleuit amarè, ac verecundus admodum, proque delictis ſuis mæſtiſsimus, Præſulem obnixè orauit, ipſe eas pœnas ſubire poſsit, ſe peccaſſe, ſe promereri, demum hominum Deumque fidem obteſtatus meliora promiſit, & promiſſa præſtitit; alias eandem ob cauſſam non humero ſolum, ſed & coſtas laterum, ac pectus ipſum diuerberans in tantum ſe adflixit, vt ad dies aliquot ſequentes ei pœnæ ac doloris acrimonia perduraret. Ita ſuas oues B. Tho. paſtorum optimus lucrabatur, vt de eo ipſæ dicere poſſent, *diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Comparari etiam poſsit illi pellicano ſolitudinis, cum in abdito ſui cubiculi pullis ſuis peccato mortuis fuſo ſanguine in Chriſto vitam inhalaret. Ab illa radice eximiæ charitatis alius bonorum operum fructus fuit. Ab illa, omnes captiui pauperes, tam clerici quam ſæculares, quos culpis ſic exigentibus includi carceri ſuo par erat, toto tempore quo iſtic tenebantur, cibum dari imperabat. Nuntio cuidem de Enguerra reuerſo, quo iuſſu B. Thomæ miſſus fuerat, infirmo confeſtim duas gallinas cum centum regalibus, per ſuos dedit, poſt dies quindecim alias duas cum regalibus item centum donari præcepit, nec ab opere deſtitit, donec is plenam ſanitatem conſecutus eſſet. Volupe mihi & iucundum erit Auditores, è multis aliquas, propter quas honorificus ei inter tot laudatos Eccleſiæ præſules, & viros operibus miſericordiæ eximios, cum ſolo Ioanne Epiſcopo, Eleemoſynarij titulus conceſſus eſt, pijſsimi Antiſtitis Eleemoſynas recenſere. Cum Valentiam veniſſet, Archiepiſcopatus octodecim millium ducatorum erat, ac omni illa pecunia pauperibus erogata, tria ſolum millia ſuſtentandæ familiæ, ſalarijſque Aduocatorum, ac aliorum officialium, alia vero duo millia, penſioni, quæ quotannis D. Georgio ab Auſtria ſoluebatur, impendit. Adeo vt tredecim omnino de anno in annum pauperibus, ac ipſo etiam Archiepiſcopatus beneficio lapſu temporis ad millia triginta aucto, tota viginti quinque millia, inaudita ſæculis liberalitate donarentur, ne nummulo quidem in vſus ſuos ſeruato, cum ea ratione ſe fore ſacrilegum vir ſanctus vereretur. *Oſtia Sancti Sanctorum de lignis oliuarum vt eſſent præcepit Dominus 3. Reg. 6. Oſtia illa prælati ſunt, per eos enim tanquam per oſtia in cœlos aſcendimus, ſint itaque ex oleaginis pij & miſerantes. Ipſe Chriſtus pauperum curam habuit, & loculos habenti proditori, Eleemoſynas vt faceret mandare ſolitus fuit.* In dies ſingulos quingenti ad portam palatij pauperes conuenere,

Iſ. 53.

Eleemoſynæ B. Thomæ.

Epiſcopus niſi omnes admiſerit in humanus eſt. Hieron.

uenere,

Digitized by Google

uenere, ac omnibus illis quantumcunque ſero etiam aduentantibus, panem vnum cum offa, vini hauſtum, ac nummum aliquem diſtribui iuſsit. Ita pecuniam negligebat, imo vero ſummam diuitiarum ſuarum rationem habebat, & non ſine fænore dona ſua lucrabatur munificus præſul, in Domino ſperans ac ſalutaris illius fiduciæ ſemper pleniſsimus. Admiratur eum Sapientia & exclamat: Eccl. 31. *Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ Theſauris. Quis eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.* Prima verbi, *altera in Epiſcopalibus curis Eleemoſynarum eſt largitio. Ob illam conuertendis etiam animabus neceſſariam Euangelij prædicationem, Romanam & Hiſpanicam profectionem, ad quam tantopere præ deſiderio Romanorum Apoſtolus anhelabat, tantiſper diſtulit, donec ad pauperes, qui pretia patrimoniorum ad Apoſtolicos pedes detulerant, Hieroſolimæ exiſtentes recreandos, collectas Achaiæ & Macedoniæ aliorumque locorum ipſe orbis Doctor, non per alios, ſed manu ſua pertuliſſet. Increpatur & Epiſcopus Ephesinus & audire cogitur: habeo aduerſum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti Apoc. 2. quod Eleemoſynas nempe minuiſſet, & pauperum curam non neglexiſſet quidem; Sed cum oſcitantia quadam habuiſſet.* Ac quibus etiam donaretur, non adeo ſollicitus fuit. Monitus aliquando ſubeſſe fraudem, non eſſe verè pauperes, qui aduentarent, alios bis & ter manum exporrigere, reſpondit, ſi fraudulenti ſubrepant ac ganeones, videat qui illi rei præfectus eſt, ad ſe ſpectare nihil aliud, quam vt neceſsitatibus miſerorum ſuccurrat, qui præ foribus eius eſſent, neque ideo minus donandum eſſe, cum is, qui ſic paupertatem ſimularet, ampliuſque caperet, Angelus aliquis de cælo eſſe poſsit, caritatem noſtram exploraturus, omnibus itaque, quibus redirent vicibus, donaretur, cum fiducia ſenſuque pietatis, ac in nomine illius, qui vt diuites eſſemus, propter nos egenus factus eſt, ac ærumnarum plenus, vulpe foueam habente, & volucribus cæli nidum, filius hominis nō haberet, vbi reclinaret caput ſuum. Cum viro Sancto nuntiatum eſſet adoleſcentem pauperem Agricolæ filium, dexterâ manu languidum, ac laboribus ineptum viuere, vt ab Eleemoſynario ſuo per hebdomadem regalibus ſeptem donaretur, ſtatim iuſsit, is cum iam ſanior manus, ac operi apta ei videretur, retraxit ſolita ſubſidia; reſciuit id pijſsimus Thomas, & confeſtim ſolitam Eleemoſynam, earum etiam hebdomadum per quas nil acceperat, donari imperauit; cum alius magna premeretur neceſsitate, quod ſericum non haberet, centum illi & quinquaginta libras donari iuſsit, emit eâ pecunia, ac cum ſuis ipſe ſeſe operi accinxit. A vidua prolem oneroſam habente ſciſcitatus, num alicuius opificij gnara foret, ac reſpondiſſet ipſa ſe farinæ florem decribrare poſſe, verum deeſſe, quo id ageret, gauiſus bonus Pater, vt confeſtim ei omnia neceſſaria emerentur præcepit; molam itaque illi rei aptam, menſas, arcas, triticum, piſtrino vertendo iumentum, ac denique quidquid ad officinam inſtruendam conueniret accipiens vidua, haud difficile ſuos liberos educauit. Alias, cum pecuniam non haberet pauperi nudo dandam, veſtem integram ſuam donauit. Orphanis puellis in tantum condolebat, vt per annos vndecim quibus Archiepiſcopus fuit, nulla è pauperioribus filiabus nupta ſit, quam

Chryſ. Hō. 30. ad Rō.

Quomodo animas pro ouibus poſituri ſunt, qui terræ ſubſtantiam nō eis impendunt?

 liberali

liberali dote non adiuuerit. Tam benigno quoque oculo expoſitos ad fores ædium ſuarum infantes adſpexit, vt expoſitos omnes in curam ſuam aſſumeret, educaret,& nutricibus eorum ſalaria perſolueret. Factum inde vt omnes ſic negleċti, & aliquando duo, tres, vna nocte ad fores portarentur. Cum ſerui puerulum quendam ſic aſſumpſiſſent, vultu hilari, eum in brachijs ſuis confouens Archiepiſcopus, rogauit, num baptiſatus eſſet, ac nulla baptiſmi ſigna deprehendens, impertitâ benedictione eum ſuffraganeo ſuo ſecum cænanti donauit, ac nutricem quæri iuſsit;dicentibus adeſſe iam tales quadraginta & octo, reſpondit, poſſe per Dei gratiam etiam, quadraginta nouem ali, & plures, ſi Deus miſerit. Quin etiã Patris inſtar,qui ſubinde conſpecto filio, qui foris alitur, recreatur, primo cuiuſque menſis die, vt ad palatium cum infantibus nutrices omnes aduentarent iuſſerat; illis in ordinem bipertitis, ipſe Epiſcopus earum medius obambulare, intueri puerulos, qui alerentur perpendere, ac illam mulierem, quæ ſuum meliore modo fouerat, ſupra mercedem menſtruam donatiuo aliquot regalium honorare, fœdas & incurias increpare, dolere multum ſi pauperculorum ſuorum aliquem pallidulum, languentem, macilentum, triſtemue conſpiceret, manu leni facies eorum tangere; adblandiri, ac ſuauiter arridere, ac ne quis famulorum in hac re negligentior foret, expoſitoſque ſtatim aſſumeret, quoties aliquem is adferret, ei regales quatuor donare. Tanta autem Sanctiſsimo huic præſuli pauperculorum cura erat, vt paucis ante mortem diebus, pro expenſis puerorum & mercede nutricum ad duos poſt mortem ſuam annos, relictum eſſe, teſtaretur. Cum puella contortis retrorſum pedibus nata, ad eum perlata eſſet, vocauit Chirurgum, iuſsitque, vt omni cura eam ſanare conaretur; reſpondit Chirurgus, id ſine miraculo fieri non poſſe, inſtitit præſul applicaret ſolita, quæ neruos emollirent, ac in Domino fideret, paruit Chirurgus, ac pedibus antrorſum reductis puellam ſanauit, ac totum illud fidei ſanctiſsimi præſulis dedit, & pro miraculo manifeſto habuit. Quod in annos ſingulos tam fœcunda meſſe exſurgant ſemina, mirabilius eſſe docuit S. Auguſtinus, quam quod paucis panibus in deſerto quinque hominum millia Chriſtus pauit, at tantum non apparere prius illud, quia continuum annuumque; hoc parere ſtuporem, quia rarum. Idem ferè de benefactis B. Thomæ prædicari poſsit. Quater amplius, egenis nobilibus, matronis bono loco natis, clericis, domicellis, alijſque ſine numero pauperibus donauit, quam cenſus Archiepiſcopalis eſſet. At vnde habuit? à Domino indubiè ſuppeditatum eſt, ac pro minore etiam miraculo habitum, quia id continuum foret. Illam itaque B. Antiſtitis ſanctitatem alijs peculiaribus aliquot ſignis illuſtrem fieri Deus voluit. Quod in ſingulos dies pauperibus donabatur, non ſine magna animi voluptate præſens ſæpenumero intueri gaudebat Thomas. Itaque ſemel è feneſtra Grandioris atrij claudum conſpicatus, etſi innixum magno tamen labore gradientem ab illo fixis oculis Epiſcopum intuito ſciſcitatur, candidè aperiret, ſi fortè ſatis non caperet. Reſpondit ille, plus ſatis, vt ego paſcar, at vxor mihi & gemina domi proles eſt, quibus iſta non ſufficiunt. Pergit B. Thomas, & num opificium quodpiam edoctus ſit, à miſero petit, ita inquit ille, ſed

Benedictio Epiſcopalium Eleemoſynarii.

Digitized by Google

ſed en manus & digitos laboribus ineptos! inſtat Epiſcopus, cumque pauperi ſanitatem Eleemoſyna cariorem eſſe audiuiſſet, cum B. Petro potentia iſta verba prolocutus. *In nomine Ieſu Chriſti Crucifixi Nazareni ſurge & ambula*, Sacro *Act. 3.*
crucis ſigno notatum hominem, ac in pedes erectum, incolumem magnaque animi lætitiâ paſsim miracula iſta prædicantem, domum remiſit. Ad quotidianam pauperum alimoniam ingens multitudo panum in ædibus B. Thomæ per dies ſingulos pinſebatur, itaque cum eluuione fluminis Valentini diruptæ forent paſsim cataractæ, & nullæ per vrbem molæ verterentur, ſic vt ad farinam habendam Alziram vel Segobiam eundum eſſet, ac per hanc vrbis cladem etiam accurrentium pauperum numerus augeretur, monuit Antiſtitem Eleemoſynæ curator, non ſufficere triduanæ donationi farinam, quæ ſupereſſet, etiam domeſticis alimenta defore, tantiſper ablegandos eſſe pauperes donec in vrbe moleretur. Ægerrimè tulit hoc vir pijſsimus, ac homine grauiter increpato, paupereſne ablegentur inquit, abſit hoc, & ab illo piaculo nos Deus ſeruet, potius domeſticos omnes miſſos faciam. Cras & hodie quod ſolitum eſt panis accumula, nullique aduentantium, tametſi ſolito plures fuerint, ſubſidium nega. In Domino confido nil defuturum. Claram Antiſtitis beneuolentiam Deus adſpexit, & cum illo die conſueta pauperibus Eleemoſyna donata eſſet, ſequente tantum farinæ repertum eſt, quaſi non aliquis eam pridie attigiſſet, quæque vix duobus diebus ſuffectura putabatur, ad menſem integrum pauperibus alendis perdurauit. Neque minus illuſtre quod ſequitur, apparebit. Cum tres ad Antiſtitem viduæ aduenissent, atque ad genua eius prouolutæ pauxillum tritici precarentur, vt iſtud donaretur, oeconomum monuit, illique reſpondenti nihil ſupereſſe, miratus Antiſtes per vitam tuam inquit, inquire exactius, fieri non poteſt, vt nihil ſuperſit. Ad iſta oeconomus ab ijs quæratur, qui granaria vacuarunt, inquit, quibus idipſum aſſeuerantibus ſupereſſe videlicet nihil, cum ijs Antiſtes, qui fieri id non poſſe credebat, aſcendit granaria, Deumque viduis benignum fore non dubitans, ea aperiri iuſsit, & ecce aperta granaria frumenti plena conſpexere, obſtupuit cum aliis oeconomus, & egregiam Antiſtitis fiduciam manifeſto prodigio à Domino illuſtratam agnouit. Pauperes in vrbe omnes curabili morbo detentos, auibus, ouina carne, pharmacis, ac ijs denique omnibus, quæ ad ſalutem conſequendam pertinere videbantur, adiuuabat, etiam qui ægritudine non curabili laborabant, ab eo hebdomadatim certa ſubſidia capiebant, ſingulis hebdomadis eos omnes quos notabili neceſsitate premi intellexerat, viſitabat, lineam laneamque veſtem tam abundè ſuppeditans, vt ipſæ, quæ in id operæ impendebantur fæminæ, tametſi maximè adniterentur, ſarciendis linteaminibus induſijſque non eſſent pares. Eas autem in hunc modum Antiſtes ſolabatur, Deum nempe vires ſuffecturum. Eam quoque tam gratam illi fore pietatem, modo iſta intentionis rectitudine eam peragerent, quam ſi olim ad Crucis pedem in Caluaria conſtitutæ, & ad illud officij à Deipara virgine rogatæ, ſacra velamina humando corpori parauiſſent. Id cogitarent, tanti apud Dominum pretij & hunc laborem futurum, & in ſupremo Iudicij die, eas id à Domino audituras. Cum ſic infir-

Digitized by Google

infirmos viſitaret, ſæpè accidit vt quæ minore numero, domo elata erant, antequam ad alia efferenda quiſpiam domum remearet, multo maiore numero donata notarentur. Sæpè etiam ægri, quibus nulla recuperandæ valetudinis ſpes erat, à medicis etiam derelicti, Euangeliorum lectione & Epiſcopalis benedictionis elargitione ſanitatem conſecuti ſunt. Cum in Marchionatu de Denia viſitaret Eccleſias, & paſsim magna Eleemoſynarum abundantia ſua diſpergeret, forte puero marſupium deferenti imperauit, Eleemoſynam impenderet, videretque quantum Valentiæ impoſitum erat, quantum etiam ſupereſſet ad paures adiuuandos:paruit puer, & plura hactenus per Eleemoſynas diſperſa deprehendit quam Valentiæ accepiſſet, ac ſupereſſe etiamnum bonam eorum partem; Obſtupuit itaque ac pro euidente miraculo id habuit puer, vulgaturus etiam, niſi vir ſanctiſsimus, & ab omni vana gloria prorſum alienus vetuiſſet. Cum in Albaida viſitans ſuffraganeus eius à Beato Antiſtite geminam burſam accepiſſet, vnam ſumptibus itinerum,alteram pauperibus impendendam, eas forte in cubiculo ſuo poſuit, ac interim quo Cœna parabatur, ad horarias preces foras egreſſus, ac breui poſt redux à pauperibus Eleemoſynam rogatus, eam quæ pauperibus deſtinata erat, furto ablatam animaduertit, moleſtum id admodum fuit ſuffraganeo, totaque nocte illâ multa cauſſatus. Ea inquit, non mihi. Pater Thoma, ſed Deo ac tibi pauperibuſque tuis iniuria facta eſt. Tua res agitur, ſupplex apud Deum eſto, vt remedium adſit. Et ecce exaudita eſt boni viri oratio,poſtridie enim cum ad Eccleſiam perrexiſſet, atq; iſtic poſt miſſæ ſacrificia Chriſto rem commendaſſet, venêre ad ſuffraganeum duo illi qui burſam abſtulerant, eaque reſtitutâ cæteris abire iuſsis apud eum in Eccleſiæ ſacriſtia culpam faſsi ſunt, veniamque deprecati. Addidit vnus cum ſua manu furtum feciſſet, atque cum hoc amico ſuo Albaidam egreſſus eſſet, apparuiſſe ſibi quendam religioſum habitu nigro, pluuiali quoque mitra ac baculo inſtar Epiſcopi exornatum, qui minaretur etiam ac terrificis verbis nuntiaret inſtare pœnas, ni ablata redderet. Viſitatore Valentiam reuerſo quam male, inquit, vobiſcum in Albaida actum fuit, quamque mirabili modo Deus iſti negotio proſpexit; quâ inquit ratione id R. tua cognitum habet, cum nullus omnino, ſi me excipias, huius rei iſtic certior factus ſit. Reſpondit Antiſtes, non indagaret illud viſitator, tantum beneficij memores Deo gratias agendas eſſe. Cum anno 1550. pridie D. Bernardi famoſus quidam pirata cui nomen erat Dragut Aran, populatus eſſet vrbem Culleram magnamque inde tritici, vini, ac pecorum rapinam auexiſſet. Intellecta clade Epiſcopus per ſuos ſtatim amico ſuo iſtuc octingentos ducatos miſit, & panem ad ſolandos miſeros copioſum. Quin & poſtea compertum fuit, redimendis captiuis iuuandiſque Agricolis duplo amplius impenſum fuiſſe, quam vnquam Valentia elatum eſſet. Sunt iſta Auditores benefacta: ſunt illæ pauperum miſericordiæ, ob quas iure merito de Antiſtite pio nunc vniuerſa canat Eccleſia. *Diſperſit dedit pauperibus*, *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*, *cornu eius exaltabitur in gloria.* Epiſcopus erat Thomas, hoc eſt viduarum ac pupillorum tutor, pauperum pater: eorum ſe obliuiſci non poſſe ſine ſacrilegio cogitabat. Vt in Dei laudibus miſericordia prima

Pſal. 111.

ma eſt, & ſuper omnia opera eius, ſic & ab eo, qui in Eccleſia perſonam Dei ſuſtineret, eam virtutem maximè illuſtrem requiri, neque ſolum ideò verticem eius oliuo perungi, vt ad lucendum accenſus, ad paleſtram quoque paratus eſſet, ſed vt miſericordiæ potiſsimum, ac lenitatis in omni vita ſua exercendæ moneretur. Apoſtolos etiam vti animarum, ita & corporum paſtores fuiſſe, non ad vllum magis, quam ad hoc beneficentiæ miniſterium attendiſſe paulum, etiam ad iuuandos per Achaiæ & aliarum regionum collectas fratres, Hieroſolymam, dilata tantiſper per Italiam Euangelij prædicatione abijſſe. *S. Nicolaus cum pecuniam non haberet, non erubeſcebat eam à ciuibus ſuis mutuam petere, vt pauperibus donare poſſet. Vide vitam apud Surium, & alios.* Sciebat & iſtud ad ſe pertinere Beatus Thomas: Epiſcopus largam habeat manum, neceſſitatem patientibus ſuccurrat, alienam inopiam, ſuam credat, quia ſi hoc non habet, in vacuum nomen Epiſcopi tenet. Audiuerat & illud: officij Sacerdotalis eſt, vt viduis ac maritali regimine deſolatis impartiri ſolatia debeatis, vt vnde in hoc mundo humanâ conſolatione priuantur, Sacerdotali tuitione poſſint remedia reperire. Acriter etiam & ſeuerè à magno Bernardo ſcriptum non ignorabat: patrimonia ſunt pauperum, facultates Eccleſiarum. Quidquid ergo præter neceſſarium victum & veſtitum de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Audiuerat & Hieronymum: In Iſ. 3. Rapina pauperum in domibus ſacerdotum, qui Eccleſiæ opes ſibi theſaurizant, & in delitijs abutuntur, quæ ad pauperum ſuſtentationem acceperunt. Itaque Epiſcopum Eleemoſynas largientem, non ſua, ſed aliena donare. Cum Eleemoſynarius noſter non ignoraret, quæ pauperum erant, ſibi retinere exhorruit, atque ad eximium beneficentiæ gradum adſurrexit. *Opes Eccleſiæ in manibus boni diſpenſatoris poſitæ ſubſidia ſunt pauperum, alimenta viduarum, adiumenta virtutum, redemptio captiuorum, ſtipendia prædicantium, rudimenta ſimplicium. Suſtentatio Deo dicatarum virginum, inſtauratio templorum, collegiorum inſtitutio ac ſtudiorum.* Ac cum in omni virtutum genere præclarus, prudentiæ tamen laude maximus & in humilitate fundatiſsimus fuit. Honores, qui ſuperbiam plerunque ac ſui obliuionem progignere ſolent, ſemper expauit. Valentinam dignitatem iuſſu eorum, quibus ſaluâ charitati refragari non poterat, & grauibus etiam cenſuris terre factus accepit. Eam magnâ ſemper animi moleſtiâ geſsit, veritus diuina Iudicia & Angelis etiam formidandam eius officij molem. Ab Epiſcopatu ſuſcepto eum nemo hilarem, minus lætitiâ effuſum vidit. Neque magis vnquam de ſalute obtinenda ſollicitus fuit. Omnem etiam mouit lapidem apud Cæſarem & alios quorum id intererat, eo vt abdicari poſsit. Ea propter ſolatus eſt eum frequenter per litteras Cæſar: inſtaret labori, non defutura præmia, certam à Deo conſtantiæ mercedem expectandam eſſe. Itaque cum ſeſe apud homines nihil proficere videret Thomas, adiuit Dominum, dieque Virgini purificatæ Sacrâ clauſo oſtio cubiculum ingreſſus ad imaginem ſculptæ Crucis iſtic poſitam, prouolutus eſt, & ecce manare lacrymis, ingemiſcere & lamentari ſe Archiepiſcopum factum, cum ſubito vox auditur à Chriſto, diciturque: *Æquo animo eſto Thoma. In die Natiuitatis Matris meæ ad me venies.* Atque vt illius rei teſtimonium

Opes Epiſc.

Diſt. 86. c. fratrem.

Greg. Ep. 13

Matth. 25.

F per-

Digitized by Google

permaneret, os Crucifixi, quod in imagine clauſum erat, deinceps patulum apertumque manſit, viſique dentes tam adfabrè facti, vt Iconographi dicerent, ſimiles vix per extremam artis induſtriam formari poſſe. Ea non abſque ſingulari cordis gaudio intellexit B. Thomas, illique deinceps donec vixit abundanti ſolatio fuere. Vigeſima nona Auguſti angina eum corripuit, quam ei ſtudia, vigiliæ, & indefeſsi pro Dei gloria labores pepererunt. Illi itaque cum acrem ſuperuenire febriculam ſentiret, protinus cum multis ſuſpirijs, lacrymiſque totius vitæ delicta confeſſus eſt. Feria ſecunda proxima cum ſummo pietatis ſenſu ad veras virtutes Deique timorem præſentes in lacrymas quoque fuſos exhortatus, Viâticum accepit. Interim Valentiæ ſupplicatum vbique pro incolumitate optimo paſtori impetranda, adiunxit populus maxima dolorum ſigna, ac eam corporum adflictionem, qualis iſtic, per ſacras paraſceues ferias fieri conſueuit. Cum per Eccleſiam B. Thomæ Apoſtoli proceſsio graderetur, neque Sacerdos pro infirmo orare, neque cantare miniſtri præ vi lacrymarum potuerunt. Quatuor ante natiuitatem virginis diebus Eleemoſynarium per omnes Valentinæ vrbis parochias ire iuſsit vt quatuor ducatorum millia, quæ pijſsimo Antiſtiti ſupererant, pauperibus propter Dei gloriam largiretur neque cum obolo domum redire, qui ſibi alioquin magni doloris cauſſa foret. Paruit Eleemoſynarius, diffuſaque paſsim ſanctiſsimi Antiſtitis pecuniâ cum ad quendam veniſſet, chartæque inuolutos denariolos, ſumma quatuor librarum fuit, ad ſolutionem ſemeſtris donauiſſet, iam alio progreſsis Epiſcopi miniſtris, chartaque explicata, omnes medios eſſe regales reperit, etiam ad triginta libras creuiſſe ſummam, eaque pecunia, omnia ſuæ domus onera ſubleuauit. Sabbatho vigiliâ natiuitatis Virgineæ, cum omne æs illud pauperibus diſtributum eſſet, omnem ſuæ domus ſuppellectilem pauperibus quoque donari iuſsit. Ea re peractâ ſolus ei lectus ſupererat, in quo moribundus vir ſanctiſsimus decumbebat, pauperem itaque ſui carceris cuſtodem ad ſe vocatum, eum vt acceptaret, rogauit; accepit eum pauperculus, quem nunc alieni iuris cum ſibi commodari tantiſper vt in eo moreretur, Antiſtes precatus eſſet, lubens ſi id non faceret, ſe humi ſtratum moriturum adiunxit. Itaque votis Epiſcopi acquieuit pauperculus. Ac ille tum demum manibus ac oculis in cælum leuatis Deo, inquit, gratias ago, quod pauper religioſus mori poſſum, & habere iam nihil, quod meum ſit. Quis non obſtupeſcat & in lacrymas eat ad hæc tam ſingularia Chriſtianæ pietatis exempla Auditores? abdicat ſe omnibus bene vtique ac prudenter, quocunque terreno Iuſtus grauatur, neque ſola cupiditas rerum temporalium viſcus eſt ſpiritualium pennarum, ſed ipſæ etiam opes pondera ſunt animæ in cælum iturienti. Abdicat ſe omnibus vt leuior ſcilicet ad montem æternitatis depoſita omni ſarcina volaret. Nec: *Eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſeruus maior Domino ſuo*, omnium egenus, pauper & nudus, vel ipſa matre ſua alteri conſtituta, in cruce Dominus exſpirauit, imitari quoque magiſtrum B. Thomas, cum optimo quoque prophetarum audebat dicere: *nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Etiam cum Aſsiſinate Diuo generoſus eſſe

Matth. 10.
Iob. 1.

Digitized by Google

eſſe, qui ſe animam ſuam rite Deo commendare & æternam emere vitam poſſe non exiſtimauit, niſi ſupremâ nuditate opulentus ac omnium terrenorum liber hinc abiret. Nos è contra reculæ noſtræ tenaciſsimi ſumus, ad extremum viſco illi adhæreſcimus, etiam tunc cum facultates deſerendæ ſunt, appetitus manet, & cunctis etiam emorientibus ſola habendi deſideria non extinguuntur. In illa porrò corporis infirmitate, at mentis vigore conſtitutus B. Thomas, quo per omnem vitam ſacrarum litterarum pabulo gauiſus erat, iam morbi proximus earundem lectione reficere animum ſuum non neglexit. Itaque Domini dolores & acerba tormenta, vt ea Ioannes ſcribit, recitari ſibi mandauit, monuitque quibuſdam in locis vt ſubſiſterent, ipſe interim meditari attentius & oculos lacrymarum plenos obuertere Crucifixo. Ijs peractis in cubiculo ſuo ſacrificium miſſæ celebrari iuſsit, cumque venerabilem Euchariſtiam ſacerdos eleuaſſet, cepit vir ſanctiſsimus productim & magno cum lacrymarum effluuio recitare pſalmum: *In te Domine Speraui non confundar in æternum*, cumque ea verba protuliſſet. *In manus tuas commendo Spiritum meum*, ac venerabilem ſumpſiſſet Euchariſtiam Sacerdos in Domino placidè obdormiuit, ipſo natiuitatis Virgineæ die, prout ſeptem ante menſibus ab imagine crucifixi prophetatum erat. Facies illi poſt mortem non lurido pallore horrida, ſed candida prorſus ac formoſa velut ad angelicam puritatem refulſit. Eo defuncto ingens Valentiæ tumultus fuit, eiulatus etiam ac luctus vbique ingens, tantaque omnium deſperatio, quaſi extrema vrbi pernities imminer et, ac ipſa Valentia iam funditus euertenda eſſet. Octo pauperum millia amarè flentia funus Antiſtitis ab Eccleſia maiore ad ædem Auguſtinianam, vbi in communi fratrum ſuorum monumento ſepeliri voluit, comitata ſunt. Sepultus igitur in illa B. Virginis Eccleſia B. Thomas fuit, in qua per merita Electi Antiſtitis ipſe Dominus magna in dies & mirabilia operatur. Ad prodigia veniamus. Poſt mortem varijs, ac ijs præſertim, quos in vita dilexerat, apparuit Thomas. Afflictos & ob mortem Antiſtitis doloris plenos ſuffraganeum ſuum, & amicum magiſtrum à porta nocturnis alloquijs, facie læta ac illuſtri in hunc modum ſolatus eſt: Quid me fletis, nolite flere ſi me diligitis. Quod acquiſiui, & quo nunc fruor, non totus mihi donare mundus valeat. Altera in Epiphania Domini per noctem apparitio facta eſt cuidam, cui vt certis Eleemoſynis pauperes adiuuaret, tradita ad hoc ante mortem pecunia Antiſtes mandauerat, ille itaque cum id non feciſſet, eâ nocte increpatus ab Antiſtite qui pauperum eorum neceſsitates vltionem apud Dominum flagitare aiebat: attonitus ac tremebundus orauit veniam, ac omni ſe ea quæ iniuncta erant, diligentiâ curaturum promiſit. Sed cum is aliquatenus tantum promiſsis ſtaret, iterum purificatæ Virginis nocte eum lecto incumbentem inuiſit, ac grauius increpato, repentinam ei mortem, ac illum Dei rigorem, quo is erga pauperes vtebatur, minatus eſt, ac cædi etiam per famulum iſtic præſentem, vt monenti alias crederet in tantum iuſſit, vt is ipſe per dies aliquot ab ea virgidemiæ acrimonia, è lecto ſurgere non valeret, ac ita tandem ſapuit. Poſt biennium iterum matronæ cuidam

Moritur pijſsimè B. Thomas. 1555.

Miracula poſt mortẽ.

Amorem pauperum etiam mortuus habet, ac eorũ curam geſſit.

nobili ac alias malignis febribus æſtuanti atque à medicis deploratæ mulieri ſe videndum præbuit. Apoplecticum media corporis parte miſerè adfectum, ac prorſus inutilem, ac ſolius Dei miſericordiæ à medicis derelictum, ea etiam ratione ſanauit. Tam pretioſa autem ſunt omnia Sanctorum in conſpectu Domini, vt non animas ſolum eorum multiplici gratiâ, ac corpora illuſtribus ſignis, vt ſic à fideli populo æſtimentur, ſed veſtes, vela ac cætera lipſana minutiora, ipſam quoque tellurem, flores, ac oleum quod forte ad ſepulcra Diuorum impenditur, mirabilibus factis attollat. Puer vix bimus febricitabat ad mortem vſque, paucas etiam aquæ guttulas tantum ſumere valens, Anxius ergo Pater cum lacrymis eum B. Thomæ commendauit, ac pauxillum terræ, quod ad ſepulcrum erat, aquæ mixtum vt ſumeret puer, effecit, & ecce, apertis protinus oculis ad vbera materna anhelauit, pleneque ſanum parentes eum adſpexere. Paupérculæ collum malis humoribus tumidum, ac fœdo apoſtemate vlceratum erat, etiam medicina non proderat. Quid agat miſella? ad Antiſtitem noſtrum ſe conuertit, & de Lampade oleum, quæ ad ſepulchrum ardebat partibus ægris cum admouiſſet, ſanitatem conſecuta eſt. Ita etiam ſemeſtrem puerulum dirè adfectum B. Thomæ merita ſanauerunt. Alius puellus morti proximus à parentibus ad ſepulcrum B. Viri perlatus, ac lapidi ſepulcrali appoſitus, cum iudicio omnium non viuus iam haberetur, cum lacrymis Sancto Viro commendatus, eodem temporis puncto, aperire oculos, liberari à febribus ac poſt biduum integra valetudine potiri cœpit. Alia mulier vberibus arida, ac poſt quintum iam partum ſemper ſicca, enixa ſextum, Thomam inuocare proponit, adit itaque Eccleſiam, orat Antiſtitem, de floribus ſepulcri aliquot inter vbera locat, mox rediture domum, & ædem vix egreſſæ intumeſcunt vbera, ac non ita multo poſt, ea tam grauida & plena lactis ſentit, videtque vt in effluuium tenderent, cumque vni eorum puer adplicatus eſſet, tam tenaciter adhæſit, vt vix vllo modo auelli poſſet, ac poſtmodum à matre ſua ablactari, tanta lactis illius dulcedine ac bonitate imbutus. Ita ſcilicet quæ per miraculum naturalibus meliora ſunt, vt ex aqua vinum in Cana Galileæ factum, oculi cæco nato dati. Quin & illam quam de lapide traxit olim Moſes aquam Scriptura ob eximiam eius præſtantiam mel appellauit. *Vt ſugeret mel de Petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Alteri mulieri cum per grauem iracundiam illi vbera aruiſſent, ad Sepulchrum cum lacrymis venienti, & de floribus eius aliquos capienti, eadem gratiſſimo lacte tumuerunt. Alij quoque mulieri ad Sepulcrum ſtanti, & miſericordiam deprecanti, eadem beneficentia momento temporis obtigit. In puellæ collum peſſimus humor magnâ copia decidebat, neque ſe vertere poterat ſine graui dolore, tanta quoque iſtic durities erat, vt Petra videretur, gliſcebat in dies malum. Sic vt ad extrema deueniret, in illis itaque puella anguſtijs conſtituta de floribus Sepulcri capit aliquos, ad collum ponit, & ecce illico ſtatim, mitigari dolor, ſenſim tuber, quod erat, emolliri, æquarique collum cepit, ſic vt veſtigium mali non appareret. Alia mulier idem paſſa, oleo lampadis

Deut.32.

Digitized by Google

padis inuncta eodem momento ſanata eſt. Sed ad potiora progredior. Quod inter miracula ſummum, per Thomam Deus, ſeu per Deum Thomas è mortuis viuos fecit. Ea facta per medicos Romanos ante ſummum Pontificem indagata vel ſola animum eius permouerunt, vt Thomam noſtrum catalogo Beatorum adſcriberet. Ad viuos reducti quinque puelli, & ſex puellulæ fuerunt, in eam enim ætatem, vti in vita fuerat, præcipuè etiam poſt mortem beneficus eſſe Thomas geſtiebat. Prima puellarum cum mortua, & non ſine miraculò etiam ex vtero matris, per obſtetricem alioquin deſperabundam, educta eſſet, matrem dolore preſſam, & iam iam quoque morituram reliquit. In illo itaque mater periculo ſe poſitam cernens, ſe Antiſtiti noſtro commendauit, oratione fœtum eduxit, & cum mox eum in ſtabulo vtpote ſine baptiſmo mortuum: fœtidum etiam ac planè nigrum ſepelire ſtatuiſſent vna præſentium fortè mulierum obſtitit, cuius hortatu cum cæteræ etiam per horam ferè in genua prouolutæ Valentinum Antiſtitem orauiſſent, ecce puella, aperire oculos, plorare etiam, fœtore omni liberari, candida quoque & formoſula apparere. Mox baptizata eſt. Multi è manifeſto mortis diſcrimine per Thomam ſeruati, è multis aliquos attingam. Filius Comitis de Sinarcas ſex menſium puer, febre maximâ torquebatur, difficillimè reſpiranti pæne fauces claudebantur, ei quoque venam cum Chirurgus ſecuiſſet, res in peius ibat, ſolam mortem omnes exſpectabant, parentes ne filium morientem viderent alio abiuere. Fortè ergo cum ingreſſus eſſet cubiculum Dominus Matthias Pallas patruus, Canonicus Valentinus aliquid circa febricitantis caput de Lipſanis B. Thomæ poſuit, ac ſtatim leniri dolor, & abeſſe periculum cepit. Ac mox ſanitatem puer conſecutus eſt. Alium non bimum acuta febris, præter illam alia quoque mala vexabant. Per dies quinque nihil etiam quod auxilium ferret, accipere poterat. Sola mors timebatur. Pater igitur cum veſtem ſui filij ſancto vouiſſet, ille eodem temporis momento cibum petit, ac mox integrê conualeſcit. Alius puer cum per matrem iratam vitioſo vberum lacte corruptus eſſet, & in ſumma vitæ diſcrimina adductus per auram, itidem funeream veſtem pueri Diuo promittentem lætus ſtatim ſanuſque effectus eſt. Alius etiam vndecim menſium puellus ab omnibus deſperatus, ſub horam nonam veſpertinam à patre ad Antiſtitis ſepulcrum eunte commendatus, redeunti patri puellus in brachijs ancillæ lætus & hilaris adridere cepit. Alius biennis graui malo preſſus, omni ſenſu deſtitutus à patre ad Sepulcrum B. Thomæ ductus paternaque prece adiutus conualuit. Puella etiam valde febricitans cum eam Clericus quidam B. Thomæ commendaſſet, eadem ferè ratione ſanata eſt. Alia quadrima maximis febribus aduſta eo deuenerat vt mortua ab omnibus haberetur, illa repente vti poterat ſe Epiſcopo cum commendaſſet, & Auguſtinianam ferre veſtem promiſiſſet, ſubito cunctis ſtupentibus in lecto adſurrexit, clamoſa ſe ſanam omniqúe malo liberam Thomæ beneficio. Cum in puero ſex annorum omnia mortis prognoſtica vidiſſet medicus, eum mater vt ſe Beato Antiſtiti commendaret, hortata eſt, quod ſi ore non poſſet, cordis id adfectu faceret. Puer illo ſermone collegit animum, & prout potuit opem Antiſtitis inuocauit. Mox dormire cepit, &

Mortuos vndecim ſuſcitat. Varia morborum genera ſanat.

 poſt

poſt horulam auctis eximiè viribus, ſe B. Thomæ meritis ſanum dixit, eum apparuiſſe ſibi, in habitu nigro, mitram in capite & pedum in manu habentem, ſurgerem per Dei miſericordiam, me conualuiſſe, ac ſic abijſſe. Stupuerunt omnes, Deoque gratias habuerunt. Puer annorum quatuor in platea cum ſocijs ludens, rotis eſſedi, quo D. Matthias Pallas Canonicus Valentinus vehebatur, obtritus, pænè mortuus, ſanguine per os, nares & aures effluente reliquijs B. Thomæ, quas & Canonicus Pallas adpoſuit, recreatus, poſt pauculas horas ſurrexit & per cubiculum ſanus cucurrit. Alius maxima infirmitate victus, clauſis oculis, frigidus, & iam non viuus à parentibus qui funebre pallium eius ad Diuum detulere, Beato Viro commendatus ſtatim conualuit. Alia ſic item puella octodecim menſes nata, quam mortuam omnes iudicabant, ſpumâ per os & nares dimanante ſanitatem impetrauit. Nec in illam ætatem ſolum, ſed in viros etiam B. Thomas bonus fuit. Quidam illi deuotus cum nulla recipiendæ Valetudinis iudicio medicorum ſpes eſſet, omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitus ad Antiſtitem noſtrum ſe conuertit, audiuit vota Beatus Thomas, & ad lectum ægri mirificè clarus apparens adtulit ſoſpitatem. Alius item poſt quartanam obſtinatam quatuor annorum in ardentem continuam lapſus, & per pharmaca meliora non ſperans, ab apparente illi Diuo & corpori ægro manum admouente ſanatus eſt. Mercator Valentinus bina letalia vulnera cum accepiſſet, & nihil etiam in medicis amplius ſperaret, reliquijs Diui ad caput adpoſitis primum roborari & paulò poſt integrâ valetudine potiri cepit. Ita cum alijs decem & octo perſonis, quos mitiora mala non tenebant actum. Vt autem mulieres, quæ pariendi dolorem ferunt, ſciant quem præter alios in anguſtijs aduocare poſsint: nonnulla hic diuini fauoris per Thomam impetrata teſtimonia recenſebo. Vna fuit cui poſt maximos etiam conatus nullam ſpem obſtetrix faciebat. Fœtum in vtero ita conſtitutum eſſe, vt vi naturæ prodire nullatenus poſſet. Ita cum lacrymis anxia mater ad Thomam ſe vertit, is itaque miſeram ſolaturus, veſte Auguſtiniana tectus venerandi ſenis inſtar manu baculum habens apparuit, iubens vt æquo animo eſſet, ac in Domino fideret. Fecit ita ac paulo poſt, fœtum viuum vegetumque cunctis admirantibus enixa eſt. Eadem beneficentia pluribus alijs aduenit, quibus ſumma in pariendo difficultas, & fœtus iudicio obſtetricum, poſt omnia humanæ induſtriæ tentamenta, iam vitam reliquiſſe, & non aliter in auras proditurus dicebatur. Alia referam; pauperculus claudus & debilis toto corpore ſic erat, vt ſe mouere non poſſet, tandem cum ægritudo inualeſceret lacrymabundus ad Sanctum venit, is vt Epiſcopus ei apparens bono eſſe animo iubet, Deum propitium fore, qui cum hac viſione terrefactus ac impotentiæ ſuæ non memor aufugere moliretur, ab Epiſcopo monitus conſtitit & mox è grabato ſurgens deinceps non claudicauit. Ita alias cum paupercula muliere etiam factum. Puer quatuor annorum cui caput monſtroſum præ nimio ſanguinis adfluxu videbatur, & cui ex oculis tam fœdus humor effluebat, vt accedere nemo vellet, ac in cæcitatem quoq; laberetur, à capite quadrageſimæ ad finem Iulij hoc etiam malo preſſus, à patre B. Thomæ oblatus, quarto die Nouendialis cultus quem promiſerat idem pater, videre cepit,

Partu laborioſiſsimo preſſas iuuat.

Digitized by Google

cepit, ac integrè conualuit. Faſſus ea ſibi beneficia ab Epiſcopo Sancto, qui omnem illam prauitatem capiti & oculis deterſerat, collata. Alia puellula viſum recepit, alia item mulier, ac Adoleſcens loquelam. Multi præterea varijs malis, vt apoplexia, vlceribus, podagra, cancro, alijſque diritatibus adfecti per Antiſtitis benedicti preces ad integram ſanitatem venêre. Ac quod miraculum miraculorum appellare poſſumus, ad mortem vſque ſine letalis peccati macula Thomas vixit. Quid facimus Auditores? intelleximus admiranda, quid Deo rependimus? qua ceremonia Antiſtitem honoramus? Religioſiſsimus cultus, inquit Lactantius, eſt imitari. Prodigia non poſſumus, at neque debemus. Itaque de charitate ſolliciti, vt Deo placeamus, boni cum Thoma noſtro ſimus, modeſtiam, benignitatem, continentiam, Eleemoſynas laudatiſsimi præſulis imitemur. Execratus eſt auaritiam B. Thomas, & nobis etiam horrori ſit, execrabile illud malum, tinea ciuitatum, populi ruina, humani generis exitium, etiam Domino ſuo graue ac pernitioſum. Quibus te ego diris perſequar, ô nata Inferno Furia! mentium excæcatrix, vti rerum ita & animarum in profunda labentium vorago! quo vos contemptu proijciam ò fœda viliſsimarum rerum mancipia! eſtis impudentes & ſordidi vel à ſtatuis etiam farinas exacturi, omnibus inuiſi, omnibus noxij, miluis & vulturibus comparandi, etiam poſt parta triſtes & anheli. Pulcrè Chryſoſthomus: *Vt Eunuchus amplexus Virginem ſuſpirat & ingemiſcit, ſic qui diuitijs inhiant, earum intuitu nebulones ſunt.* Merito vos omnium hominum ſtultiſsimos S. Franciſcus appellauit. Vultis audire etiam quam execrabiles à diuino Spiritu habeamini? *Auaro nihil ſceleſtius.* Dixit Sapiens. Malorum omnium radicem etiam Apoſtolus nominat cupiditatem. Viduas ea ſcilicet ac pupillos euertet, rapiet aliena, etiam à vinea Naboth non abſtinebit, prædabitur, nec curabit numerum lupus, fiet etiam, quod dicitur, miſcebit ſacrilegia.

Cæcis viſum, mutis linguam donat.

Ita viri fide digniſſimi & qui penitiſsima eius nouerant, teſtati ſunt.

Auaritiæ Fœditas.

Eccl. 10.

1. Tim. 6.

Falſus erit teſtis, vendet periuria ſummâ.

Exiguâ Cereris tangens aramque pedemque.

Corrumpet iudicia, tribunalia cuncta fœdabit. Quid amplius de poſtremis hominum auaris auditores? pallidi, inſomnes, ieiuni, pauperes, circa omnia maximè diuina diliri, accumulationi tantum & rapinis idonei, vt tuta reditibus ſit hypotheca, vt colono non ignauo tradatur ager, vt ſyluæ non incidantur, vt de Pomarijs nemo legat, ſolliciti ſunt. Barbari etiam & immites. Eos inferno omnia deuoranti magnus Auguſtinus, eos igni Remp. depaſcenti magnus Gregorius comparauit: Ego eam omnis nequitiæ compendium dicam, nec augurabor in vanum, ſi cuncta pœnè Reip. noſtræ mala illius diritati imputabo. Atterimur bellis, aggrauamur cladibus, conatibus noſtris cælum & Deus obluctari videntur, tributis & vectigalibus exhaurimur. Militem alimus numeroſum. Ipſa etiam Catholici Regis pietas, diuinæ gloriæ, animarum bono, & cauſſæ ſuæ æquitati promouendæ impendit millia talentorum, Et quorſum tandem flos ille regiarum largitionum euaneſcit? eſuriunt milites,

Lib. 15. moral.

hæreti-

Digitized by Google

hæreticos non ſuperamus. Alia etiam rerum confuſio eſt, damnatis maritimarum partium paludibus, neſcio quorum vel malitia vel ignauia vel errore ſpes noſtræ pæne ſubmerſæ ſunt; de cohortibus alibi in morem prædonum palabundis nihil audeo dicere. Poſsim alloqui patriam meam, nobilem alioquin prouinciam Europæ gemmulam. *Quanta laboras in Charybdi*, &c. *vix illigatam te triformi Pegaſus expediat Chimera.* De fori malis etiam ſilebo. Pro ſeptempeda litigamus,& iugera rixis impendimus. Forte punctum ſit, quod nobis aufertur, & iurgia in immenſum pertrahuntur. Vbi pax? vbi charitas? non hoſpes ab hoſpite tutus.

Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara. eſt.

Quis ille per Deum immortalem Chriſtianiſmus? melius Turco, melius Agarenæ propagini conuenire puto. Multiplicatis actionibus obruitur ſenatus. Pleni ſunt paſsim loci forenſium rabularum. Illi etiam qui temperare feruorem deberent, vt odor lucri adſpirarit,litigantium incendia ſunt. Ab auaritia illa pullulant Auditores, ſunt illa Furiæ germina tanto prouenientia vberius, quanto maiore nunc ambitionis ſtudio percoluntur. Ita ſcilicet pecunia colligitur, vt honores emantur, parandis opibus inſudatur, vt faſtui & ſuperbiæ alimenta ſint. Execremur Furiam, cum B. Thoma ſapiamus, cum viro Sancto liberales ſimus. *Victoriam & honorem acquiret,qui dat munera.* Et iterum: *homines miſericordiæ inuenientes gratiam in oculis omnis carnis*, etiam apud poſteros famam habent: *omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt & in diebus ſuis habentur in laudibus.* Omnibus nempe grati, omnium amici, de omnibus bene meriti liberales, audiunt ornamenta ciuitatum, Reip. decora, humanæ ſocietatis ſolatia, læti ſemper ac hilares, maximorum operum patratores. *Diffidit vrbium portas vir Macedo, & ſubruit æmulos reges muneribus, munera nauium ſæuos illaqueant duces. Beneficia non modo corpus, ſed mentem animum, atque præcordia ipſa nexibus charitatis vinciunt. Olim quidam in Deos relati, quia benefici fuerant, & hominibus ſalutares. Beneficentia ſanctitatis opinionem parit, ſine ea parum proficiunt Eccleſiæ Rectores, retundit iram, & acerbas mitigat paſsiones. Sic etiam, placatur donis Iupiter ipſe datis.* Verè opulenti, qui liberales cum omnis diuitiarum fructus in vſu moderato ſit poſitus, Deo etiam, qui tota die miſeretur & commodat, ſimiles ſunt. De vno eleganter Romanæ fidicen Lyræ: *viuet extento Proculeius æuo, notus in fratres animi paterni, Illum aget pennâ metuente ſolui, fama ſuperſtes.* Æmulemur ſaltem Ethnicam pietatem Chriſtiani, at o potius propter Deum cum optimo virorum Thoma liberales ſimus. Non poſſumus immolare victimam miſericordijs pauperum gratiorem. Ad eam per ſingulos dies Prophetica voce admonemur. *Sacrificate Sacrificium Iuſtitiæ & ſperate in Domino.* Inter omnia Pharmacorum ſpiritualium catapotia Eleemoſyna eminet; bona cætera nobis alijs proximo forte fiunt. Eleemoſynam Deus capit, Eleemoſyna ipſe Dominus confouetur: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Vt mirum non ſit hæc ſtudia pietatis; præ cæteris multis Deo eſſe gratiora. Sed maximarum virtutum delicatus adtactus eſt.

Proſpi-

Prou. 22. Eccl. 44. Ibid.

Liberalitatis Encomia.

Pſal. 4.

Matth. 25.

Digitized by Google

Proſpiciendum itaque, ne quod alioquin optimum, ſiniſtrâ tractatione peſſimum fiat. Ordine igitur & rite vt Eleemoſynam faciamus, eam à nobis inchoemus. Qui ſibi nequam, cui bonus? ab ea cæteræ, quæ in pàuperes erogantur, vitam habebunt, in caſſum alioquin donandæ, niſi illa præceſſerit. Monet Sapiens: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Illam ſuadet & ipſe Dominus: *date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Ita pulcrè Auguſtinus: mendicat à te anima tua, redi ad conſcientiam tuam quicunque male viuis, & inuenies ibi mendicantem animam tuam ærumnoſam, & forté egeſtate obmuteſcentem, nam ſi mendicat, eſurit Iuſtitiam: miſerere igitur animæ tuæ placens Deo, &ç. Vt cætera proſint, teipſum ne deſpice, inopiam tuam leua, ſic propriæ memor ad alienam perge, ſed perge lætus & animi latus, *hilarem enim datorem diligit Deus*, largitatem triſtitia non corrumpat, non etiam ad laudem, non ad gloriæ vanitatem, mercedem alioquin non habiturus; cautè itaque, vt neſciat ſiniſtra, quid piè dextera operetur; palam tamen ſubinde, & in conſpectu hominum, vt habeantur exempla pietatis, & opinio auaritiæ plena ſcandali tollatur, ac videant illi, quorum intereſt, *Opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Quibus denique? bonis ac rectis corde, ſi poſſumus. Audite Sapientem: *Si bene feceris, ſcito cui feceris. Benefac iuſto, da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem.* Audite & pijſsimum Tobiam: *Panem & vinum tuum ſuper ſepulturam Iuſti conſtitue*, &c. Panem ſuum & vinum peccatoribus præbet, qui iniquis ſubſidia, pro eo quod iniqui ſunt, impendit. impendendum itaque miſeriæ, non iniquitati. Quin & impendendum malo, non vt foueas malum, ſed vt hominem iuues. Iuſto dandum tanquam Iuſto, id eſt, quia iuſtus. Nam ſi des cogitando ibi aliquid temporale, quia is forte cauſſæ tuæ neceſsarius, non tanquam iuſto das, nec accipis mercedem iuſti. Contra autem etiam peccatori dandum, ſed non tanquam peccatori, quando enim in quo peccator eſt, hoc tibi placet, vt des, Deum offendis, vt hiſtrioni quia hiſtrio, meretrici quia meretrix, non ibi attendis naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani. Duo enim ſunt nomina, homo, peccator, quod homo, opus eſt Dei, quod peccator, opus eſt hominis. Da operi Dei, noli operi hominis. Quid eſt dare operi hominis? dare peccatori placenti tibi propter peccatum. Auguſt. in Pſal. 102. Et quando denique? ſtatim, cum poſtulamur, etiam præripientes anſam pietati. Bis dat, qui cito dat, non poſt longa morarum tædia, cum validi ſumus & adhuc robuſti, cum diuturna adhuc rerum noſtrarum dominia nobis eſſe poſſunt. Donationes inter viuos teſtamentis meliores ſunt. Ægra ſunt dona, quæ ab ægris fiunt, languida, quæ à languentibus. Ac neſcio reuera an cum magno merito fieri poſsit alienum, quod permanere non poteſt tuum. Pulchrè Orientius:

Quomodo facienda Eleemoſyna.

Eccl.30.

Luc.11.

Serm.3. de verbis Domini.

2.Cor.9.

Matth.5.

Eccl.12.

Tob.4.

Greg.

Munera quæ donat moriens, hæc munera non ſunt.
Donat enim, quod iam deſinit eſſe ſuum. &c.

Quid de teſtamentis ſolliciti ſumus? quid de fundationibus cogitamus? ſint illa regum & principum monumenta, nos obuiam nobis quotidie pauperta-

G tem

tem conſolemur; ac pro modulo noſtro promiſcuam egeſtatem adiuuemus. Probroſum eſt Catholicos tam inæquales viuere, non eſſe maiorem in rep. Chriſtiana paritatem. At quantum donabimus? pro modo poſſeſsionis: *Si multum tibi fuerit, multum tribue, ſi parum, & hoc lubenter impertire.* Nullus miſer erit, niſi qui noluerit miſereri, etiam modica Deo grata ſunt, non enim miſericordiæ definita ſunt pretia, nec à donis, ſed à pia voluntate cuncta hæc æſtimantur. Vidua iſta plus omnibus fecit. laudat eam Dominus, quia melior diuitum animis tenuioris viduæ adfectus erat. Si nihil habes. Saltem congregationi pauperum adfabilem te facito, benignæ allocutionis obſequium ſaltem impende, etiam mercedem non amiſſurus es, ſi cum pia fueris tantum voluntate. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat non habeo, charitas de ſacculo non erogatur. Ac vultis intelligere Auditores? quantam bonorum ſegetem ab illo Eleemoſynæ ſemine colligere poſsit homo Chriſtianus? Audite primum Encomia Scripturarum: *In memoria æterna erit Iuſtus*: Vir miſericors & liberalis, etenim miſericordiam Iuſtitiæ titulis Eloquia Sacra honorant. Laudat & Sapiens impenſe liberalem. *Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula*, &c! quis eſt hic & laudabimus eum? &c. *Erit illi gloria æterna*, ac paulò poſt: *Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Ita quoſdam in tenui fundatiuncula pro Chriſto, in Eleemoſyna ad maiorem Dei gloriam pauperi data, potiorem laudem, quam in maximis opibus, perfido, immiti, ingrato decoctori, & qui parœmiam illam veram facit, vnus colligit, & alius diſpergit, hæredi relictis conſecutos videmus. Vultis effugere paupertatem? horribile illud malum, quod impiger extremos currens mercator ad Indos fugit per Saxa, per ignes? *Qui dat pauperi non indigebit, qui deſpicit deprecantem ſe, ſuſtinebit penuriam.* Vultis diuitias & retributionem temporariam? *Date & dabitur vobis.* Etiam cum vidua Eliſæi in vaſa vacua miſſum creſcet oleum. Tiberius Imperator non ſine multorum obloquio, fiſcum Eleemoſynis exhauriens, mirabiliter à Deo ditatus fuit. Igitur *de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & replebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Ac iterum non poſſum omittere tam elegantes ſententias: *Da Altiſsimo, ſecundum datum eius & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi.* Etiam in poſteris. Nam *non vidi iuſtum derelictum nec ſemen eius quærens panem:* & iterum Sapiens. *Illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona*, &c. è contra, *qui amat diuitias, non capit fructum ex eis.* Fructum quippe ex illis caperet, ſi eas bene ſpargere non amando voluiſſet. Etiam ingratus hæres labores & ſollicitudines tuas diſsipabit. Sæpe etiam nunc impetu grandinis verberantur vineæ, nunc caloribus exuruntur agri, nunc ſiccitate nimiâ tellus hiat, nunc denſis imbribus ſata computreſcunt, nunc meſſem locuſta vorat, & horreis infeſta dominantur animalia, nunc alijs atque alijs calamitatibus vapulamus, quas merito duritati cordium noſtrorum & auaritiæ imputemus. Audite Prophetam. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, comediſtis & non eſtis ſatiati,*

Tob. 4. Refrigerium aquæ à Deo poſcitur, non aurum. Vide Chryſoſt. Hom. Quod nemo læditur, niſi à ſeipſo. Luc. 21. Auguſt. in Pſal. 103. Pſal. 111. Eccl. 31.

Prou. 20. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiunt nõ ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Prou. 10. Paulus Diac. l. 3. cap. 6. Eccl. 25. Pſal. Eccl. 44. Eccl. 5. Greg.

ſatiati, bibiſtis & non eſtis inebriati, &c. Etiam fœnera & ſupra ſortem aliquid exſpectatis? *fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* ars omnium artium quæſtuoſiſsima eſt Eleemoſyna. Chryſ. Hom. 33. ad Pop. Si vis eſſe mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, vt recipias, quod non poteris amittere. Etiam euadere diras & imprecationes percupitis? audite amaritudinem, audite duris & immitibus infeſtam Spiritus Sancti iracundiam: *Mittat Dominus ſuper eos famem & eſuriem, donec conterat & perdat eos velociter, percutiat eos Dominus febri & frigore, ardore & æſtu, & aëre corrupto ac rubigine, ac perſequatur donec pereant, ſit cælum quod ſupra illos eſt æneum, & terra, quam calcant, ferrea, det Dominus imbrem terræ eius puluerem, & de cælo deſcendat ſuper eos cinis, donec conterantur.* Audite & alium prophetam ab infantia miſerantem. *Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea, ſeram, & alius comedat.* Vultis & ab alijs vitæ malis liberari: muniri aduerſus diuina iacula, contorti fulminis vibrationem? *Conclude Eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Ad potiora progredior. Deum colere, veram ſectari religionem deſideratis? *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*, ac rurſus: *qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius, honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.* Peccaſtis in Deum, inquinati eſtis, lauationem cogitatis? *Date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemoſyna extinguit peccatum.* Ipſa eſt quæ ardentium criminum globos, beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat & irriguo largitatis obruit incendia delictorum. A diaboli iugo liberari? ab animæ coniuratis defendi percupitis? *Computreſcet iugum à facie olei. Eleemoſyna ſuper ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Vultis poſt grauia etiam crimina non puniri? *Peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum, forſitan ignoſcet tibi Deus.* Vultis & homicidia, & ſanguinem, & lethalia euitare ſcelera? paſce fame morientem, ſi non pauiſti, occidiſti. Tot pænè quotidie diuites perimunt, quot morientium pauperum apud ſe ſubſidia abſcondunt; nam quum qualibet neceſſaria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur. De qua enim ſumpti ſumus, cunctis hominibus terra communis eſt, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert, in caſſum ergo ſe innocentes putant, qui commune Dei munus ſibi priuatim vendicant, qui cum accepta non tribuunt in proximorum nece graſſantur. Vultis & miſericordiam Dei? *Beati miſericordes, quoniam ipſi*, ſcilicet & non alij, *miſericordiam conſequentur.* A Domino accipient, quod alijs impenderunt, pro modica magnam pro humana benignitate diuinam. Aquæ guttulam durus in vita Nemeuſus, poſt magnas preces non impetrauit. Vultis viuere in Charitate, habere virtutem, ſine qua nihil ſunt reliqua, Apoſtolicum iſtud cogitate: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, quomodo charitas* Dei *manet in eo?* Vultis incrementa Iuſtitiæ, & bonorum operum meritis cumulari? *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam, &c.* quid tum denique? *tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas*

Agg. 1. — Eleemoſynæ fructus. — Deut. 28. — Iob. 31. — Iac. 1. — Luc. 11. — Iſ. 10. — Dan. 4. — Matth. 5. — 1. Ioan 3. — Greg. Paſt.

Digitized by Google

Iſ. 58. *tua citius orietur, & anteibit faciem tuam Iuſtitia tua, & gloria Domini colliget*
Tob. 4. *te.* Vultis exaudiri orationes veſtras, placere ieiunia veſtra? *Bona eſt oratio, cum Ieiunio & Eleemoſyna.* Sic & tum demum ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cum abſtinentia ieiunantis eſuriem reficit indigentis. Da non habentibus, & pete ab illo, qui habet, vt oratio tua bonis operibus commendetur, fruſtra pro peccatis rogaturus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperem non extendit. Vultis illuſtrari à Spiritu Sancto, & videre quæ ſint placita
Iſ. 58. Domino Deo veſtro? audite Prophetam: *cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam adflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit.* De prædeſtinatione cogitatis, anxij eſtis
Serm. 8. de Iej. 10. menſis. animoque ſollicito? *Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ.* En amoris notam. Gaudete, (ait Leo magnus) quod per vos Dominus pauperes ſuos paſcit ac veſtit, quibus vtique poſſet eas, quas vobis contulit, tribuere facultates, niſi pro ineffabili miſericordia ſua, & illos iuſtificare vellet de patientia laboris, & vos de opere charitatis. Idem alibi: felix eſt illud horreum, & omnium fructuum multiplicatione digniſsimum, de quo egentium & debilium ſaturatur eſuries, de quo releuatur peregrini neceſsitas, de quo deſiderium fouetur infirmi, quos ideo ſub diuerſis moleſtijs Iuſtitia Dei laborare permiſit: vt & miſeros pro patientia, & miſericordes pro beneuolentia coronaret. Vultis ſalutem, adipiſci regnum, poſsidere vitam æternam? audite Agonotheten: Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei poſsidete regnum*: quare per quæ merita? quia!
Leo. ſerm. 5. de Iej. 10. menſ. Prou. 11. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, Sitiui & dediſtis mihi bibere: hoſpes*, miles fui lãguidus, æger, & vulneratus, procul ab amicis & patria *& ſuſcepiſtis me.* Nõ proderunt in die vltionis diuitiæ, Iuſtitia autem liberabit à morte. Via cæli eſt pauper, per quam venitur ad patrem: incipe ergo erogare, ſi non vis errare. Da pauperi terram, vt accipias cælum, da micam, vt accipias regnum, da parum, vt accipias totum. Chryſol. Ser. 8. Eleemoſyna Regina eſt, præcidit aërem, tranſit lunam, ſolis radios cædit, ad ipſum venit cælorum culmen. Auditis vt Eleemoſynæ regnum, vultis & inaudire, quid auaritiæ tribuatur horribile il-
Matth. 25. lud & contremendum: *Ite maledicti in ignem æternum.* Et accepimus nos omnia, Auditores, quid ni viciſsim donamus aliquid? ſi pauperes ſpernimus, in pares iniurij ſumus. Quid mendicos adſpernamur? Sæpè Chriſtus & Angeli ſub hac ſpecie ſe hominibus oſtenderunt, etiam mendici ſumus, æquali cum illis ſorte componimur. Omnia Dei beneficia Eleemoſynæ ſunt, imo ſi veritatem fateri volumus, aliquid Eleemoſyna minus eſt quidquid poſsidemus, cum quod nos per Eleemoſynam erogamus, in poteſtatem tranſeat capientis, à cælo vero quidquid accipimus, diſpenſationi noſtræ tantum, ac recto vſui credatur, & de omnibus teneamur ad rationem. Quid ſpernimus miſeros? ipſi etiam Reges & Domini prouinciarum aluntur gratis, niſi forte illud inter triuiale mendicabulum & monarcham diſcriminis eſſe velis, quod ille pannoſa laciniã & viliore lana, hic pretioſiore purpura veſtiatur; imo vero tanto clariores hi mendici, quanto per Dei cuncta largientis miſericordiam ditiores. Commu-
nem

Digitized by Google

nem mundi inopiam Propheta confitetur, cum ait: *omnia à te exſpectant, vt tu* Pſal.103.
des illis eſcam in tempore, dante te illis colligent, apariente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Et quid nos denique aſsiduis vociferationibus recitantes Domini precem, totius Euangelij breuiarium, Chriſtianæ pietatis epitomen inclamamus? *panem noſtrum quotidianum, da nobis hodie.* Videmus Auditores, Matth.6.
vt erga proximum liberales ſimus, ab aliena liberalitate quantum pendeamus. Hanc ſi cupimus experiri, ſi in magnis Reip. vel familiæ malis adiuuari, ſi de hoſtibus & auida ſanguinis noſtri barbarie, diraque hæreſi victoriam volumus obtinere, noſtram proximus ſentiat. Peccauimus cum patribus noſtris, inique egimus, immane quantum à Deo receſsimus, ad miſericordias pauperum fugiamus; forſitan ignoſcet nobis Deus, & depulſâ, quæ ſuper Belgicam pendet variarum tribulationum nube, lætitiæ ſerenum adparebit. Pulcram Deus liberalitati occaſionem dedit: Hoſpitalia plena ſunt, paſsim Chriſtus eſurit, paſsim ærumnoſus eſt. Sed cum vna ciuitas omnes enutrire non poſsit, hilares dimittite peregrinos, validos & fortes eijcite, redigantur in ordinem, ad piſtrinum & foſsiones, ad alias operas fœda ignauiæ mancipia condemnate, iuuate reliquos; iterum dico, hoſpitalia plena ſunt. Si Remp. amamus, bene quidem, *non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate*, foueamus illos, qui iſtic 1.Ioan.3.
pro Rep. ægri, mutili, conciſi gemunt, reculæ noſtræ participes ſint, qui pro focis & aris, pro vxoribus & liberis, pro poſſeſsionibus noſtris in ærumnas lapſi. Domi garruli ſumus, multa effutimus, de rebus bene gerendis maximè curioſi videri volumus, diſputamus etiam de inſtruenda acie, de militum ſtipendiis, de irruptionibus faciendis, de vrbium obſidione, de occupandis inſulis, ſed in plumea culcitra, extra ictum, in mollioribus ſtratis, commodè, in lautitijs etiam epularum, &

Ante focum ſi frigus erit, ſi meßis in vmbra.

Non ſub dio, non ſub omnibus cæli iniurijs. Ad noſocomia potius pergamus, ad alios pauperum greges, rem & ſubſtantiam impendamus, ſi patriæ amantes videri volumus. Pulchram virtuti noſtræ occaſionem Deus dedit: laborant mille modis peregrini milites, *cum videris nudum operi eum, & carnem tuam* Iſ.58.
ne deſpexeris. Ad eos iuuandos etiam altaribus iſtis velamina ſacra auelli poſſint. Nolo putetis, Auditores, etiam à pretioſo ſacrarum ædium cultu me alienum eſſe, impius ita ſim, & religioni non amicus. Etiam cum Propheta animitus loquar: *Dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ.* Sed quid Pſ.25.
potius fieri debeat, cum neceſsitas vrget, declarare non erubeſco. Ornanda ſunt templa fateor, & impenſè quidem, & quantum poſſumus ad maiorem Dei gloriam, ſed ſine præiudicio miſerorum. Alendi quoque ſunt pauperes, ſæpius Eleemoſynam nobis, quam ornatum altarium Dominus commendauit, ac profecto maior viuentium templorum habenda ratio, quam mortuorum. Peſsimè & ad rem minimè loquebatur auarus ille proditor: *poterat venundari,* Marc.14.
& dari pauperibus: merebatur enim balſamum illud Chriſtus, & vngebatur mox ad Patrem iturus: vereor tamen ne cum Dominus ad iudicandum vene-

 rit,

Ambr.l.2. offic. rit, id multoties dici nobis potuiſſe, & fieri debuiſſe, cum graui noſtro malo intelligamus. Vaſa ſacra conflauit Ambroſius, ad pauperes conſolandos, religioſam ſupellectilem diuendidit Auguſtinus, mallens altaribus ornatum, quam pauperibus alimenta deeſſe. Eius verba ſunt. Nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, vt captiuos redimeremus, quod Arrianis diſplicere poterat, nec tam factum diſplicere, quam vt eſſet, quod in nobis reprehenderent. Quis autem eſt tam immitis, durus, & ferreus, cui diſpliceat, quod homo redimitur à morte, fæmina ab impuritatibus barbarorum (quæ grauiores morte ſunt.) Adoleſcentulæ vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagijs, quibus mortis metu inquinabantur. Quam cauſſam, etſi non ſine aliqua ratione geſsimus, tamen ita in populo proſecuti ſumus, vt confiteremur, multoque fuiſſe commodus adſtrueremus, vt animas Domino, quam aurum ſeruaremus. Qui enim ſine auro miſit Apoſtolos, & Eccleſias etiam ſine auro congregauit. Aurum Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſsitatibus. Quid opus cuſtodire, quod nihil adiuuat. An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini abſtulerint? Nonne melius conflat ſacerdos propter alimoniam pauperum (ſi alia ſubſidia deſint) quam ſacrilegus contaminata abſportet hoſtis? nonne dicturus eſt Dominus, cur paſſus es tot inopes fame emori? & certè habebas aurum, vt miniſtraſſes alimoniam, cur tot captiui deducti in commercium ſunt, nec redempti? cur tot ab hoſte occiſi ſunt? melius fuerat, vt vaſa viuentium ſeruares, quam metallorum.

Ambr. Ib. His non poſſet reſponſum referri, quid enim diceres. Timui ne templo Dei ornatus deeſſet. Reſponderet, aurum ſacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emũtur. Ornatus ſacramentorum redemptio captiuorũ eſt, & verè illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas à morte: ille verus Theſaurus eſt Domini, qui operatur, quod ſanguis eius operatus eſt. Tũc vas dominici ſanguinis agnoſco, cũ in vtroq; videro redẽptionẽ, vt calix ab hoſte redimat, quos ſanguis à peccato redemit. Quanquã ad eas anguſtias res noſtræ non rediguntur, obſequamur magnorũ Præſulũ conſilijs, & pareamus, pijſsimis bonorũ virorum conatibus iuuandi miſeros in Rep. non obnitamur. Quid de voluntate donantium, de intentionibus fundatorum diſputamus? quid anxij hæremus? profectò ſi reuiuiſcant illi, vnanimi voce clamabunt nolumus diuitias noſtras fruſtra haberi, quod vtiliſsimum Reip. in illud eas expendite, quod his vel illis olim teſtatoriâ tabulâ deſtinatum eſt, ab ægris militibus, ab egenis infirmis ciuibus occupetur, alantur orphani & pupilli, pauperum adoleſcentia erudiatur. Sed neque in his meta diuitiarum noſtrarum conſtituta eſt, ſuperflua repellantur, quod protuberat reſcindamus, ſupellex ſit parcior atque modeſtior. Si in magnificentia minutiarum iſtarum gloriamur, profectò vaniſsimi ſumus; per externa illa atque labilia, per tinearum & vermium voramenta nullus adcreuit. Nam vt equum generoſum non adparatus, ſed natura ac indoles facit, ita vir bonus non à ſupellectilium pretio, ſed ab animo iudicandus eſt. Quid oneroſam illam ac turbidam rerum colluuiem æſtimamus? profectò impedimenta virtutum ſunt, ſollicitudinis ac nauſeæ inſtrumenta. Supellectilem parcam conuiuia moderata

ſequan-

Digitized by Google

ſequantur, minus ſumptuoſa ſacrificia Como fiant, non Attagen Ionicus, non peregrinæ volucres, non tam frequens edatur Phaſianus. *Seruet manus pauperis, quod venter eſſet perditurus.* *Hieron.* Sat in parabili cibo ſplendoris habebimus. Lautitijs & adparatu delicato contumeliam hoſpites patiuntur, dum ijs libido ventris ſic iteratis lancibus exprobratur, & neceſsitas ijs imponitur, cum forte non poſſunt, imitandi. Etiam per illam veſaniam raró placebimus. Aiebat olim Paulus Æmilius eiuſdem artis eſſe, & aciem inſtruere & conuiuium exhibere, *Plutarch. in Apopht. Rom.* illa vt formidinem hoſtibus, hoc vt voluptatem quam maximam pareret amicis. Præclara etiam alterius Philoſophi monitiuncula eſt. Si querelis ac faſtidio conuiuiorum carere vis, conuiuijs, inquit abſtine. Sed cum id planè non poſſumus, à temperantia ſaltem non abeamus. *Quam ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, vigilia & cholera & tortura viro infrunito, ſomnus ſanitatis in homine parco.* *Eccl. 31.* Vultis Ideam Chriſtianæ epulationis? *Hom. 10. In decollat. S. Ioan. Bapt.* audite Florentem illum Septimium: non prius diſcumbitur, (Apolog. cap. 39.) quam oratio ad Deum prægustetur, editur, quantum eſurientes capiunt, bibitur, quantum pudicis eſt vtile, ita ſaturantur, vt qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe, ita fabulantur, vt qui ſciant, Dominum audire: inopes quoque refrigerio iſto iuuamus. Audite Chryſoſt. Conuiuium honeſtate honoretur, lætitia menſæ ad pauperes Chriſti pertingat, familia Innocentiæ tripudiet diſciplinâ, abſit ebrietas, luxus abſiſtat, fugetur effuſio, ſaltatricum peſtis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragia mentis cum Herodiadis conuiuio abſcindantur, vt præſens gaudium veſtrum ad lætitiam perueniat ſempiternam. Audite Hieronynum: eſt panis famelici, quem tu tenes, laudent te eſurientium viſcera, non ructantium opulenta conuiuia. Audite Dominum: *Cum facis prandium aut cænam, noli vocare amicos tuos,* &c. *Luc. 14.* *Sed cum facis conuiuium voca pauperes,* &c. Procerum & magnatum hic nulla mentio, qui apud principem gratioſi, etiam non memorantur. Si tamen hos vocauimus, ne baſiliſcus virtute nos ſuperet, qui ad reſidua minores beſtias ſibilo inuitat: bene pranſi, bene ſaturi, egentium recordemur, reliquias ſaltem pauper colligat. Quo corpus tegitur, etiam reſtringatur, inter maxima Reip. mala illa veſtium pompa numeranda eſt; Quid tu effæminate coniunx & mulierum imperijs obnoxie comptulam facis vxorem & ornas tuam? inuitas alios, inſidiabuntur comptulæ & eleganti, quo politior, eo forte communior erit. Ipſam ornatus ad libidinem impellet, volet non ſuum, tuiſque eam ſumtibus alius emet, tuo pretio adulteram poſſidebit. Vultis plura mala? vorat patrimonia ille luxus, mille debitis item fatigatur, ad peſsimas artes impellit, facit meretrices, inquinat honeſtatem familiarum, implet lupanaria ſcortis, confundit ſtatus, violat ordinem: dum coriarius tandem & ſutor proceribus eminebit, temporis diſpendia patitur, dum enim moliuntur, dum comuntur annus eſt, tollit Chriſtianiſmum. Nemeuſus ideo etiam, quia purpurâ & byſſo veſtitus, in infernum proijcitur, in ardentibus flammis ſepelitur. Illam ſe veſtiendi dementiam Scriptura deteſtatur. *Vide Tertull. de cultu. fæm. Iſ. 3.* *In illa die auferet Dominus ornamentum calcea mentorum & lunulas & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & pe-*

& periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures & annulos & gemmas in fronte pendentes, &c. veteres Iuſti circuierunt in melotis, in pellibus caprinis; noui peccatores in mille veſaniis luxuriantur. *Forma viros neglecta decet.* Quid muliebribus delitiis maſculam dignitatem contaminamus? neglecta decoris cura plus placet, & hoc ipſum quod nos non ornamus, ornatus eſt. *Qui duas habet tunicas det non habenti*, inquit Dominus: auditis quam arceat luxum? vnicam & ipſe habuit, & vnica ſuos contentos cupit. Etiam fœminas Chriſtianas non in veſte pretioſa apparere iubet Apoſtolus, & eas denique Chriſtianas cenſet Apoſtolorum Princeps, *quarum non ſit extrinſecus capillatura*, aut *circundatio auri aut indumenti veſtimentorum cultus.* Ab Apoſtolica ſimplicitate quantum receſſimus! quid puellulis noſtris, quid vxorculis non indulgemus? augetur in dies earum furor, & ad omnia connitere mariti volunt. Vtinam aliquando iuſta Principum indignatio in illam veſaniam inardeſcat, & cum aliter refrænari non poſſit, eam cenſuris ac vectigalibus premat, ſubigatque! Anne audire volumus quid viri ſancti, quid viri fortes de hac libidine iudicarunt? Quid Stridonenſis ad Lætam Pater? nec collum, inquit, auro, nec margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris. Quid alius Sanctus? vince veſtem quæ virgo es, quæ Deo ſeruis; vince aurum, quæ carnem vincis & ſæculum, nec monilium & veſtium quære ornamenta, ſed morum. Rurſus idolis illis, & papilionibus pictis exprobrat ſeuerus ille continentiæ Doctor. Vos in tunicis aurum texitis, (Paulus Eremita) ne viliſſimum quidem veſtimentum habuit municipij veſtri, ſed è contrario illi quidem pauperculo paradiſus patuit, vos auratos gehenna ſuſcipiet; ille veſtem Chriſti, nudus licet, tamen ſeruauit; vos veſtiti ſericis indumentum Chriſti perdidiſtis. Accinit Cyprianus; ſerico & purpurà indutæ, Chriſtum ſincerè induere non poſſunt, auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta mentis & corporis perdiderunt; ſic & docet Ambroſius: deles picturam Dei mulier, ſi vultum tuum materiali candore oblinias, ſi exquiſito rubore perfundas. Sic & mellifluus Pater: veſtium, inquit, curioſitas deformitatem mentium & morum indicat; vt fumus ignem, pallor morbum, ita corruptos animos ille luxus. Ideoque merito, quo pulcriora corpora, eo animas turpiores olim Paulla verebatur; ornatum etiam Auguſtus Cæſar ſuperbiæ vexillum, ac luxuriæ nidum eleganter appellauit. Solis quoque meretricibus olim Lacedæmonij floridas veſtes permiſere, etiam quotidianâ quid in hac re peccaretur per Ephoros inquiſitione facta; cultum nempe ſuperfluum dedecere probas arbitrati. Ita quoque inſignia veſtium & lenocinia fucorum non niſi proſtitutis & impudicis congruere voluit S. Cyprianus. Veſtem itaque modicam, honeſtam, conditioni noſtræ idoneam Chriſtiani ambiamus. *Qui duas habet tunicas det non habenti*, vna illi ſufficit, ad decorum vitæ ſtatum, nil amplius poſtulatur. Qui duo poſſidet beneficia, diuinæ alioquin gloriæ iniurius, Eccleſiæ Catholicæ nociuus, det pauperi Clerico, det non habenti, ex vno viuere poterit, & laudare Deum, ex vno familiam alere, & ſtudijs bonarum artium vacare. De clientela & famulitio quoque minuamus, dignitati noſtræ iniuriam non inferemus. Olim

Ambr. l. 1. de Virg. — *Matth. 10.* — *1. Tim. 2.* — *1. Pet. 3.* — *Cypr. de Habitu Virg.* — *In vita Pauli.* — *Li. de Habitu Virg.* — *In Hexam.* — *Lib. 3. de conſid.* — *Hier. in Epitaph. Paullæ.* — *Li. de Habitu Virg.* — *Clem. Alex. l. 3. c. 11.* — *Matth. 10.*

ſine

ſine iſtis viri magni & præſtantes fuere, etiam non contemnetur Senatus, ſi ad Curiam, nec in minore pretio erit nobilitas, ſi ad Eccleſiam & conuiuia ſe contulerit ſine pompa hinnientium beſtiarum; ſatis etiam elegantes erunt domicellulæ noſtræ, ſi tot calamiſtris puparum inſtar, tot ineptijs non adornentur, tot catenulis, vnionibus, & margaritis non vinciantur. *Væ mundo à ſcandalis!* in domibus noſtris edant pauperes, habeant membra Chriſti, quod non ſine abominatione ab equis & canibus voraretur, non amplius, in ſacris præſertim altiores, potentum more ſyluas ſaltuſque peragrent, & pro annona miſerorum, ab hiſpidis illis hirſutique Dianæ alumnis ſeruentur *retia rara, plagæ lato venabula ferro.* Paſtores, medij, ſummi, modeſtiæ & paupertatis Doctores ſunt: quomodo ſi vacui earum virtutum fuerint, eas perſuadebunt? *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare,* *Ioan.1.* à ſplendore videlicet huius ſæculi alienus. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* *Luc.16.* Ac profecto melius firmiuſque in officio ſubditi tenebuntur, ſi paſtores ſuos verarum virtutum præſidio potius, quam vanitatibus illis niti populus animaduertat. (Vide S. Bernard. de conſideratione paſsim, & in Epiſtolis, & ſuper Cantica. Bartholom. à Martyribus Archiepiſcopum Bracarenſem, Stimuli paſtorum parte 2. Robert. Cardin. Bellarmin. libr. de gemitu Columbæ. Ioannem Gerzon Cancellarium Pariſienſem tractatu de Temperantia & modeſtia Prælatorum. Aluarum Pelagium de Planctu Eccleſiæ, & Hieron. Ferrarienſem de ſimplicitate vitæ Chriſtianæ.) Erramus reuera collapſuram alioquin auctoritatem: quo Spiritu per quos homines Chriſtus mundum ſubegit? vtique per humiles & paupertatis amantes. Quid aliam victoriæ viam exploramus? à Satana Satanas non expugnatur, nec eget Chriſtus armis Saulis ad bella gerenda, non eget pompis & ſplendore ſæculi ad populos in fide & obedientia continendos, vt multi temerè aſſeuerant, qui ad excuſationem dicere ſolent, non eſt ad extrema declinandum, communis via tenenda eſt. Profecto ſi antiqui Sancti & paſtores non tenuiſſent extrema, nec declinaſſent ad Apoſtolicas ſingularitates nunquam neque Sancti fuiſſent, (Sic & Beatus Thomas noſter ſingulariter ſingularis fuit) neque Calendaria noſtra ſuis nominibus ornaſſent, neque Breuiaria geſtis ſuis impleuiſſent. Qui autem tritam ſecuti ſunt viam, vel ignorantur eorum nomina, vel ſordent, nec ſemen ſanctum poſt ſe reliquerunt. Iterum dico, non eſt etiam, quod contemptum metuamus, in fulgore potius & eminente pompa contemnimur, eam quoque ſi ſtultus & delirus admiratur, rident & viliores inde ſuos paſtores habent, qui cordati ſunt. Tu paſtor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate: oues quid hic capiunt? ſi auderem dicere, dæmonum magis, quam hominum paſcua hæc ſunt. ſiccine faciebat Petrus? ſic Paulus ſuadebat? abſque his crediderunt Apoſtoli & Apoſtolici viri, poſſe impleri ſalutare illud mandatum, paſce oues meas. *Sanctus Bernardus ad Eugenium.* Et eſto, citra culpam tuam, quia Apoſtolicorum morum *Pſal 118.* æmulus, contemnaris, lauda Deum, & animo læto cum Dauide canta: *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus*, ac iterum: *Pſal.68.*

H *Domi-*

Domine propter te ſuſtinui opprobrium. Beatus Martinus impunè à ſuis Clericis irridebatur, & contumelijs adficiebatur, & ex Monacho factus Archiepiſcopus Turonenſis, idem conſtantiſsimè perſeuerabat, qui prius fuerat, eadem in corde humilitas, & in veſtitu vilitas, in Eccleſia nemo eum ſedere vidit, domi autem tripoda vtebatur, cum hoc tamen ita plenus auctoritatis & gratiæ, vt egregiè impleret Epiſcopi dignitatem. Vide Sulp. Seuerum. (*Epiſcopus Vilem ſupellectilem, & menſam ac victum pauperem habeat, dignitatiſque ſuæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat.* Concilium Carthaginenſe quartum cui B. Auguſtinus interfuit. Vide & Synodum Mechlinienſem ſub Matthia Houio.) Quod ſi aliam horum temporum rationem quiſpiam cauſetur, tempora Euangelio & non Euangelium tempori aptandum eſſe, vir pius reſpondebit. Quid quod & pauperes minus audent ad phaleratos illos accedere, vt ab eis paſtũ vitæ ſuſcipiant, qui etiam videntes eos in otio & epulis viuere, ſe vero egenos & in laboribus vitam ducere, inuident eis atque detrahunt, quos ſi humilitate ſolidoque Chriſtianæ ſimplicitatis præſidio ſubnixos viderent, amarent, colerent & obſeruarent, eorumque exemplo labores ſuos & ærumnas æquanimiter ferrent. Quod ſi etiam in pompa & ornatu ſæculari auctoritas zelatur, cur alij minores miniſtri, cur Curiones non pauci, in ſordibus ſæpè, abiectoque ſtatu cur in penuria, rerumque anguſtijs reliquuntur, cur tam modica illis vitæ præſidia è pinguiſsimis Prælatorum decimis, & poſſeſsionibus aſsignantur? Nec eſt porrò quod contemptum magnopere metuamus, maiores potius erimus, & apud omnes, præſertim Principes, clariores. Sacrorum hominum luxu offenduntur illi, eum etiam obliquis ac irridentibus oculis, & indignabundo animo intuentur, inde murmura & inuidiæ, cupiditas, & iracundiæ, & magna paſsim ab antiqua Principum in Eccleſiæ miniſtros liberalitate degeneratio. Paucis dicam Auditores: immodicus ille multorum luxus, vereor ne peſsimo tandem Remp. Chriſtianam ſtatu mulctet, ruinæ præſagium illa pomparum inſania eſt. Maiores noſtri homines excellentiſsimi ſine iſtis fuere: & quid nobis modo cum delitijs peregrinis? Belgæ ſumus. Quid cum Typho & faſtu aliarum gentium? Belgæ ſumus; habeant illi ſuam, in quo velint, magnitudinem, nos candore noſtro & ſimplicitate contenti ſimus. Quam praua poſteritati exempla relinquimus! quam liberis & nepotibus noſtris pernitioſa! imitari volent, ſe obærabunt, peribunt, & quod caput hic malorum conſtituo, quod membris Chriſti largiantur, vix inuenient. Emendemus Auditores, præclarum in Beato Thoma continentiæ exemplum aliquatenus ſaltem æmulemur. Sic inueniemus & nunc abundè, quod petentibus donare poſsimus, & abundantius olim, quod à Domino accipere, cum tabernacula noſtra deponemus. Illi laus, gloria, poteſtas, & imperium in ſæcula ſæculorum. AMEN.

* * *

Digitized by Google

Panegyricus hic Sacer à R^{do}. & Cl^{mo}. viro ANTONIO SANDERO S. Theol. Licent. Beato Thomæ Villanouano dictus conſcriptuſque imitationi & admirationi fidelium, vtiliter imprimetur. Actum Gandaui hac 18. Decemb. 1621.

ANTONIVS SMETS,
Canonicus & Archipresb. Gand.
Libr. Cenſor.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C° 150

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google